





Sammelband

Pd  
101.





An 2

I. N. I.  
DE  
AVGVSTISSIMA  
SACERDOTII  
MAJESTATE

ET  
VERIS EIVSDEM  
REQUISITIS  
HISTORICO-THEOLOGICÆ  
DISSERTATIONES

QUARUM ILLA ANTE XIV. ANNOS  
IN ILLUSTRİ ACADEMIA ALTDORFFINA  
PUBLICÈ PROPOSITA

ET NORINBERGÆ TYPIS EXSCRIPTA:  
HÆC VERO JAM PUBLICO DONATA,  
AUTHORE ET COLLECTORE

M. ERNESTO CHRISTIANO *Philips*  
ECCLESİÆ SULINGENSIS PASTORE,  
EJUSDEMQUE ET VICINARUM IN  
COMITATU SUPERIORI HOIENSI  
SUPERINTENDENTE.



B R E M Æ,  
TYPIS HERMANNI BRAUERI, IBID. ILLUSTR. GYMN.  
TYPOGRAPHI, ANNO 1669.



L. N. I.  
DE

AVGVSTISSIMA

SAOERDOTII

MAJESTATE

ET

VERIS EIVSDEM

REQUISITIS

HISTORICO-THEOLOGICIS

DISSERTATIONIBUS

OPRIBUS ANTE XIV. ANNOS

IN ILLUST. ACADEMIA ALTDORFANA

DEFINITE PROPOSITA

AT NORMANOE ET TIBI EXCIBITA

HAEC VIKO TAM TIBUSO DONATA

AUTHORIT. COLLECTORI

M. ERNESTO CHESTIANO

ET TIBI SOLIMANENSIS

LIBRARIUM IN

COMITAT. SUPERIORI HUNDO

SUPERINTENDENTIS

B. R. E. M. A. N. S.

THIS HAS BEEN PRINTED AT THE PRESS OF

JOHANNES HENRICH







In Dissertationem  
DE MAJESTATE SACERDOTII

Ἀντιμεδιαστικόν:

**D**igna Ministerio Sacro Praeconia cantas:  
Præmia sed Cælo, non hîc cantanda reservas.  
Et benè! Nam Cœli qui Munera Dîa ministrant,  
Hos verò imprimis Cœlestia Dona manebunt.

Deproperat. Stoltzenoviæ

à

M. GODESCHALCO DUVIO,  
Superintendente.



Ad

*Perquàm Reverendum & Clarissimum Virum,*

**Dn. M. ERNESTUM CHRISTIANUM Philips!**

In Superiori Comitatu Hojensi Superintendentem longè dignissimum, & Pastorem Sulingensem meritissimum, Amicum incomparabilem, fœlicibus Auspiciis & beatè defuncti Dn. Parentis, sui in Collegiis Academicis ante 50. annos Sympalæstritæ jucundissimi, & propria Scripta edentem,

Acclamatio gemina.

I.

**D**Um, VIR CLARE, pii Parentis ausu  
Fœlici, simul ac decente, docta

Sistis posthuma Lucis, ecce, Scripta

Usuræ, (facit hoc Amor Verendus!)

Pol patras geminam patratiorem.

Nempè hoc est Superis dari Beatum!

Immortalem at in Orbe prorsus! Ergò

Porro hoc instar agas, nec invideto

Tantum Depositum Pius Bonisque!

Illustres





Illustres rutilum Decus Parentis:  
Depromas nitida & disertascripta!  
Eccur cum tincis & usque blattis  
Rixentur, meritò Perennitatem,  
Quæ digna, ut videant? Gemente Momo,  
Te, CHARUM CAPUT, ast amabit Omnis  
Musarum Chorus, & replebis Orbem  
Famâ Nominis, & vehere Olympo.

II.

**I**N GNATO vivis, quantumvis mortuus, olim  
Aonidum STATOR, MAGNE PHILIPPE! Tuo.  
Scilicet HIC grandi docuit molimine MUNUS,  
Et MAJESTATIS JURA MINISTERII.  
Efflorescentis sunt hæc Spectamina Laudis,  
Et pulchri Ingenii splendida Dona cluent.  
Non cedit Patri generosus Filius! Ornat  
Præclare Tanti nobile Agalma Viri!  
Perge PHILIPPE! premas PATRIS Vestigia foelix!  
Incolumis vivas! vive PHILIPPE diu!

Scripta


â

VALERIO VASMARO

Ecclesiæ Melninghausanæ & Sideburgensis  
sub Inspectione Sulingensi Ministro,  
Ætatis anno currente 74.

MAGNI-





Magnifice Dn. Rector, Patres Academiae conscripti, Viri Reverendi pl. Amplissimi, Consultissimi, Experientissimi, Excellentissimi, Clarissimi: Vosq; labascantis Ecclesiae juxta ac Reipublicae futuri Atlantes, charissima mihi Capita!

§. I.



*Cum in universo Orbe maxima clarissimaque*

*Dona ac Beneficia earum rerum, quarum omnibus retro seculis memoria celebris est, putamus nobiscum atq; perpendimus, dubitandum non est, quin subito illud Divinae Bonitatis juxta ac Clementiae sese offerat indicium, quod miserata terris Numina superius concesserunt, ut per ejusdem operas antiqua labis, per nepotum graclus grassans pestilentia, manifestata nova, hominibusq; incognita amissa vitae restauratione emendaretur. Sive enim augustissimam ejus Originem foelicissimamq; Progressum, sive sublimes illas & ab omni humana imbecillitate remotas Res, quas tractat, sive fertilissimam Segetem, quam ex ejus singulari virtute & efficacia colligimus prolixè, sive deniq; supernaturalem prorsus, omniumq; votis expetendum Finem respiciamus, tantam certè Majestatem contemplantem oculis ubiq; sistit, quantam nec assequi Ingenio satis, nec Oratione explicare & ostendere possumus. Quare nec turpe mihi fuerit, si admiratione tam augusti & divini argumenti illectus, excurram in late patentem campum, & illa, quae Oratione, non ad Tullianam lucernam in Rhetorum Scholis anxie elaborata, sed sine accuratio-ri studio, & vel stante pede congesta potius, quam composita, complexus sum, sub discessum meum ex illustri hac Academia, eloqui ac dicere aggrediar. Tametsi enim haud ignotum mihi esse queat, in solenni hac Panegyri de aliqua quâpiam re, quae aures animumque magis fortè oblectet, Dissertationem bene ac laudabiliter instituere me potuisse; Nihilominus à divinarum sanctarumque rerum, quarum cognitioni perpetuò totus vacare laboro, assiduâ fortisq; contemplatione, aut revocare animum penitus, aut inter media Religionis*

† a



*Prois negotia profanas agere curas ac sollicitudines, certè ejus esse videbatur, qui neq; Pietatis studiosissimus, neq; Status sui ac conditionis, cui sese mancipavit unicè, memor esset: Quorum alterum ut negligentis ac spernentis sua, alterum levis & irreligiosi est, ita operam mihi dandam existimavi, ut, quantum in me est, declinare utrumq; optimè ac decenter possèm.*

§. 2. *Quod quidem tantò facilius impetraturum me confido, quantò major Vestra, Domini & Auditores! erga sacratissimum augustissimumque Sacerdotij Munus reverentia ac veneratio est, qua generosas mentes Vestras ad augendam Majestatem, laudesq; ejus amplificandas admotis quasi facibus inflammat & accendit. Et quidni jure meritoq; Divino concitati Spiritu, tam sanctam, tam salutarem sentiretis commotionem, cum in justà ac decenti ejus Muneris amplificatione Vestrorum quoq; omnium existimationem, famam, ac honorem crescere & augeri videatis, quippè qui omnes ac singuli illius interventu ad supremum Christiani Pontificatus fastigium evecti, Vobisq; ipsis & Hostia & Sacerdotes facti estis: Qui ejus quoque vi & efficaciâ Cælum ipsum, superasq; & aternas illas sedes adhuc quotidie reaseratas cernitis, inq; certâ potiundâ sempiterna hereditatis spe atq; expectatione securi recumbitis? Igitur de Benevolentia Vestra, quam antehac coram Vobis non semel dicenti, exhibuistis prolixè, haud ultra modum sollicitus, hoc unicum à Vobis, Patres Optimi, cæteriq; Auditores omnium Ordinum honoratissimi! peto rogoq; detis mihi hanc veniam, si fortè vel Sententiarum pondere, vel splendore Orationis destitutus, minus religiosas pro tanti argumenti Majestate voces proferam: De cætero hallucinanti labentiq;, quod sæpè fortassis continget, benignè & liberaliter ignoscatis. Ego verò id dabo operam maximè, ne ultra tempus & morem patientiam Vestram, quod par est ac decet, morari videar.*

§. 3. *Si tantum cuiusque Rei argetur Majestas, Domini & Auditores! quantò propius ad Antiquum illum dierum venerandâ canitie ac veritate accedit, nescio sanè, utrum cum sanctissimo Sacerdotij Munere quicquam conferri possit, quippè quod omnia Regna, omnes Principatus longissimè antevertens, indè ab ipsius Mundi Origine cœperit exerceri. Enimverò (1) cum Universum istud instituisset DEUS, illudq; non modò rebus ad vitam necessariis instruxisset locupletissimè, sed ad summam quoq; pulchritudinem perpolisset mirificè & exornasset, ad ejus structuram se tandem accinxit Sapientissimus Conditor, cujus Utilitatibus cedere omnia, veluti terrestri cuidam Numini, Sibiq; proximo subesse deberent. Nam sicuti cætera unius Hominis causâ fecerat; (Neq; enim ullâ re indigere poterat, Qui Ipsemet Sibi erat Omnia,) ita Hominem ideò condidit, ut esset, qui intelligere tot admiranda opera, nec Opificem indè cognoscere tantum, sed & inventum ac*

*cogni-*

(1) Augustus Buchn. Orat. Mss. de Elog.



*ignitum colere posset ac venerari. Quoniam autem nonnisi Mentis ac Vo-*  
*luntatis operibus, Religione, Sanctitate & Innocentiâ, Deo, qui Excellen-*  
*tissima omnium Mens est ac Ratio, inserviri ab ipsis poterat, idcirco terrena*  
*natura, quæ cute, carne, ossibus, sanguinæque ac membris absolvitur, cœ-*  
*lestem quoq; & intellectualem Spiritum superinfudit, ut, quemadmodum Cor-*  
*pore & Materiâ cum hoc visibili & inferiore Mundo connexi erant; Ita A-*  
*nimo, Mente, ac Intellectu, cum Ipso omnium rerum Autore Divino & in-*  
*adspicuo copularentur. Sic visibilis Natura Spectatores, intellectualis My-*  
*stes, eorum, quæ in terrâ erant, Reges, in amœnissimo illo, omniumq; Bo-*  
*norum abundantissimo loco, Paradiso inquam, & Paradiso ab ipso Deo plan-*  
*tato constituti, omnibus gaudebant delitiis, vitam agentes tam oblectatione*  
*eorum, quæ videbant, quàm letitiâ eorum, quibus fruebantur, plenissi-*  
*mam. Qualis hæc Eminentia, qualis Majestas, quæ Hominibus, nullum*  
*specimen bonitatis adhuc Creatori exhibentibus, propriam & segregatam mox*  
*ab initio largitur mensam, ne existimarent, eandem sibi & jumentis prepa-*  
*ratam esse escam, sed haberent quasi Reges copiam deliciarum, & tanquam*  
*Domini aliam, quàm Ministri habitationem? Quanta hæc, & quàm ad-*  
*miranda Beatitudo, quæ istos Dei Accolas, istos Cœli Cives, istos Domesti-*  
*cos Domini Sebaoth, istos beatorum Spirituum Fratres, Cohæredesque Virtu-*  
*tum cœlestium, omnibus corporalibus necessitatibus superiores, terramque qua-*  
*si cœlum incolere faciebat, ita ut cum in Corpore essent, nihil tamen tulerint*  
*corporale, neque tecto, neq; veste opus habentes, quia mira gloriæ splendor*  
*omnem nuditatem, omne externum adjumentum superabat? Quis tantam*  
*communis nostri Parentis pro dignitate satis mirabitur Liberalitatem? Neque*  
*enim dimidiatam primis hominibus rerum dedit fruitionem: Non à pluribus*  
*abstinere iussit, & cœteris frui, sed participes omnium, quæ in cœlo erant ac*  
*terrâ, eos esse voluit.*

§. 4. *Ut tamen aliquam saltem haberent exercendi Liberi Arbitrii*  
*materiam, quâ debitam erga Dominum ac Conditorum ostenderent venerationem*  
*ac reverentiam, ipse Summus, ipse Maximus invisibilium rerum*  
*Procreator Sacerdotem, Praconem, Magistrum egit primus, & homines (2)*  
*ab uno solo ligno abstinere clarâ & perspicuâ iussit voce, reapse monstrans,*  
*nullius alterius gratiâ hoc ipsum se facere, quàm ut hæc quasi manu ad tanto-*  
*rum Beneficiorum Authorem, Eiusdemq; cultum & obsequium ducerentur.*  
*Quàm verò facile in tam opimo & affluente omnium Bonorum luxu istud pri-*  
*mi Sacerdotis mandatum, istam primi Praconis ac Magistri implere volun-*  
*tatem! Quàm salutare ac proficuum, per unius Præceptiuncula observatio-*  
*nem in beatâ illa domo transigere tempus, usq; dum ad Conditoris beneplaci-*  
*tyum, in cœlestem Angelorum Patriam, etiam sine carnis morte, sine*  
interitâ

a 2

(2) Chrysof. Homil. 13. in Genes.



interitū istius ad interitum proni Corporis, felix & exoptanda fieret mutatio.

§. 5. Sed o amarissimas & miserrimas Hominum vices! Videbat summam istam Felicitatem insensissimus humani generis hostis, propria superbia in barathrum aeterni squaloris dejectus: Videbat illam, & invidebat Hominibus, etiam super terram, & in corpore Angelicam vitam agentibus. (3) Quocirca cum ipse inter superiores esset virtutes, & bene nosset, Hominem eō Perfectionis nondum evasisse, ut nullo modo peccare posset, magna utebatur machinatione, qua gratia Dei privare illum, totq; ac tantis Bonis nudare posset. Et quid agit tortuosus draco? Parvo quidem suo negotio, sed eheu! maxima cum jactura & calamitate tam nobilis Creatura, Mulierem lacescit, fructus pulchritudinem simul ac suavitatem monstrat, & mendacissimo ore Divinitatem ipsi pollicetur. Igitur delinita pernicioso consilio, Legem à Conditore & Magistro datam, spernit, contemnit, conculcat, fructumq; per prodigiosam insaniam carpit, & eundem non tantum deglutit ipsa, crudelissima certe & sua ipsius, & omnium posterorum Mater, sed acerbam illam escam, illud aeternae mortis venenum, ex Adjutrice Infidiatrix propemodum facta, socio Marito quoq; tradit, qui sacrilega temeritate & iniquissima feloniam (O iterum iterumq; miserrimas & amarissimas Hominum vices!) & criminis atrocissimi, & sempiternae miseriae subito sese reddit participem.

§. 6. Erant, erant profecto haec maxima ambitionis indicia certissima, quae angustissimam illam, omnibusque numeris absolutam absorbebant Felicitatem, succedente ingenti Malorum colluvie, quae & Corpus languoribus assiduis, & Animam caeca ignorantia, vanissimisq; cupiditatibus ac desideriis, ad terram istam & pulverem unice spectantibus, afflixit, quibus motus Judex justissimus, Sibi hactenus vicinos & consortes de solio turbavit, Paradiso ejecit, in hoc Mundo miserrime, & non-nisi mortaliter vituros, in futuro immortaliter, & sine ullo poenarum tormentorumque fine morituros. Istis demersi angustiis miseri, moribundi, squalentes sibi ipsis opem ferre atque auxilia non poterant, quia interminabili exitio proximi Creatoris, Creaturarumq; omnium iram, odium, indignationem in capita sua derivarant. Nulla amplius in ipsis relicta erat spes recuperanda gratiae, nullum consilium adipiscendae salutis, aut placandi Numinis irati, aut ignoscendi delicti, sed peccatorum, mortis, daemonumq; ac gehennae potestatem, furores, ac tormenta ubiq; metuebant.

§. 7. Ac proinde Aeterna & Summa Dei Sapientia, Illa Ipsa, per quam hoc Universum condiderat, pro ardentissimo in mox perituros desiderio, intervenit, & Seipsam aliquando humane carni uniendam exhibet, ut in eadem Justitiae Divinae faceret satis, profligataq; omnium illorum tyrannorum

(3) Chrysol. Homil. 15. in Gen.



norum & exactorum potestate, à Summo Bono rejectos homines placaret, &
 libertatem adoptionis sua affereret, & iisdem iterum promereretur, quicquid
 infelicissimo Bolo omnium felicissimi amiserant. Quod insigne Beneficium
 cum miseri ex corruptis viribus agnoscere, sibiq; proprium & salutare redde-
 re non possent, ipse Deus ex inaccessibili sua luce denuò prodiens, Sacerdo-
 tem, Praeconem, Magistrum de novo agit, & Compendium totius Sal- tis
 in lata illa, de Semine Mulieris, serpentis caput contrituro, concione, gra-
 tiosissimè revelat, cujus fide & agnitione adulterati Liberi cum Optimo Pa-
 rente, subditi rebelles cum Maximo omnium creaturarum Domino religeren-
 tur. (4) Cum enim Sapientissimus Conditor inimicum humani generis
 tantam insaniam ferre videret, ut veritus non sit, mox ab initio moliri insi-
 dias, & mendacissimis persuasionibus recens creatos admirabili & Angelicâ
 vita privare, subito etiam tanto malo, tanto vulnere medelam afferendam
 esse existimavit, ne ulcus grassando planè incurabile fieret. Et hoc non per
 Angelum quendam, aut aliam Sibi subditam perficit Creaturam, sed Ipse
 adstat, Ipse adest & laborat, (5) illos Medicos hâc parte imitatus, qui mi-
 nistris suis agros curandos minimè committunt, sed qui pallium deponunt ipsi,
 linteolumque succincti, suis manibus ferrum accipiunt, ulcusque, si sit opus,
 incidunt, nec foetorem ejus aversantur, quin profluentem etiam saniem exci-
 piunt, & unguenta compingunt saluberrimè ad debiliùm incolumitatem &
 salutem.

§. 8. Hæc Origo Sacratissimi istius Muneris, cujus expectatione ac
 desiderio inflammata Mentis ad omnem Religionem pariter ac Sanctitatem,
 atque adeò ad Ipsius Summi Aeterniq; Boni cultum ac venerationem excitan-
 tur! Hi natales ejus, hæc incunabula, Augusta satis, veneranda satis ac
 splendida, quippè quæ Ipsius Dei Ter Optimi Maximi gloriosissimâ Inaugu-
 ratione & Consecratione, non tantum in Fœlicitatis, sed & Miseria huma-
 nae Statu satis superq; coruscant. Undè fieri aliter non potuit, quàm ut per
 Adamum, ejus temporis quasi Episcopum, eundemq; secutos Patriarchas an-
 tediluvianos ad Divinam Ordinationem ritè administraretur, publicata in Sa-
 crificiorum oblatione, per Fidem in venturum Statorem ac Vindicem Gene-
 ris Humani, cum Supremo Numine sese unxiendi ratione. Neque dubitan-
 dum, quin per Nepotes fulgor hic rutilaverit latissimè, usquedùm per Noa-
 chum post universalem illam totius Orbis inundationem de novo mortalibus
 innotesceret, qui hoc nomine cœlestis (6) Justitiæ Præco haud immeritò di-
 cebatur. Ex ejus filiis Semus, Per primogenituræ prærogativam Sacerdotali
 Dignitate conspicuus, quæ acceperat à Parente seminaria, instituta congrega-
 tione, fœlisciter propagavit, donec per (7) Abrahamum, ex medio idolola-
 trarum

(4) Chrysof. Homil. 16. in Genes. (5) Theodoret. Sermon, 6. de Græc.
 affect. curâ. (6) II, Petr. I. 5. (7) Joseph. Antiquit. Judaic. l. I. c. 8, 9. 14.



rparum coetu vocatum, illum inclytum, illum Prophetam, illum Dei Ami-  
 cum, à falsis persuasionibus ad Unici Veriq. Numinis purum castumq. cul-  
 tum ducerentur homines, inq. Illo spes suas & omnia praesidia ponere disce-  
 rent: (8) Cujus ipse humana certè virtute majus exhibuit exemplum, prom-  
 ptissimo illo obsequio, immolandi unicum, ac in supremà Senectute in solu-  
 tium ac letitiam sibi datum Filium, cui jam defessa & funeri proxima aetas,  
 tanquam fermo tibicini incumbens, anxios dies allevare speraverat. Hujus  
 Herois vestigia in Chananaâ Isaacus & Jacobus secuti, & in ipsâ rursus A-  
 gypto Josephus, qui non tantum purpurâ, fasciis, diademate, alendisque  
 Corporibus, sed & Sapientia Divina, erudiendisq. ac melioribus efficiendis  
 Hominibus & Regioni, & circumquaque jacentibus Ditionibus Pro-Rex  
 illuxit.

§ 9. Ac cum temporis decursu Gens illa, quam Sibi Deus Ipse ex  
 universo humano genere, velut sacratas quasdam primitias destinaverat, per  
 tyrannidem miserrimè opprimeretur, Legislatorum illustrissimus, Moses, à  
 Supremo Numine DEUS Pharaonis, Israelitarum Antistes & Dux, Di-  
 vinorumq. Arcanorum Inspector constitutus divinitus, ut prodigiorum signo-  
 rumq. admirandâ virtute Veri ac Aeterni Dei Majestatem revelaret, ut  
 anhelantem populum ex durâ servitute educeret, mare scinderet, hostesq.  
 suffocaret ac demergeret, ut panem ex caelo traheret, Oracula Divina scruta-  
 retur, nubem penetraret, ad DEUM propius accederet, Legemq. ab Il-  
 lius acciperet manibus, (9) cum alios omnes & fulgura, & tonitrua, &  
 tubarum clangor, & mons fumo circumfusus, & horrendæ comminationes,  
 pluresq. alii terrores in inferiori loco sisterent: Ut deniq. populo religiosum  
 cultum præscriberet prolixè, summi Sacerdotii honorem ad Aaronem, non  
 minus Virtute ac Pietate, quam corpore fratrem, ritè ac solennitè deferret,  
 inq. Primogenitorum locum Levitas surrogaret, qui Cultui Divino vacarent  
 perpetuò, refractariaq. gentis causam apud Deum peragerent. Hâc Ordi-  
 natione (10) Maximus omnium Pontifex, tanquam Caput tam illustris  
 Hierarchia, & Religioni, & summae Reipublicae à Rege, postea instituto, pro-  
 ximus, praerat, Oraculumq. dubiis temporibus consulens, ejus Respon-  
 sa ex admirando gemmarum splendore, & literis, stupendâ vi protuberantibus,  
 augurabatur, quin & adyta interiora semel quotannis sancto & solenni Ex-  
 piationum die ingrediebatur, non modo pro Palaestina incolis, pro familiari-  
 bus, amicis, & civibus, sed pro omnibus Natura partibus, caelo, terrâ,  
 aère, aquâ et igne, veluti totius humani generis & universi orbis Legatus  
 & Mediator, ad Deum hostias litaturus, ratus, Mundum istum commu-  
 nem omnium mortalium esse Patriam, cui reddere propitium Parentem Con-  
 ditoremq.

(8) Philippus Caroli de Sceptro Judæ A. 3. (9) Nazianz. de Statu Episc. pag.  
 135. (10) Schickhard. de Jure Regio Hebr. p. 10. 12.



ditoremq<sub>3</sub> Univerſi, fas ſit & æquum. Atq<sub>3</sub> hoc tam augustum ſplendē-  
dumq<sub>3</sub> Munus (11) illuſtri illā veſte, Parentum Magnalia, Jehova Ma-  
gnificentiam, imò totius Orbis Similitudinem repreſentante, ſatis indicabat,  
cum & Terram byſſinā tunicā, & Aerem hyacinthinā, & Fulgura tintin-  
nabulorum ſonitu, & Cœli pulchritudinem gemmarum fulgore, & Solem  
Lunāmq<sub>3</sub> orbicularibus ſmaragdīs, & Regio diademate, in ſummo totius  
corporis ſaſtigio venerabili, Ipius Dei exprimeret Sedem, omni ambitu ſub-  
limiorem, ex quā Regum Rex, omnibus præſidens, cuncta, quæ infra ſunt,  
ſapientiſſimè moderatur & gubernat.

§ 10. Undè et extera etiam Gentes, earundemq<sub>3</sub> Reges ac Principes,  
tanto Splendore, tantā Sublimitate ac Maieſtate moti, in cultum venerati-  
onemq<sub>3</sub> Judaici Sacerdotii proni fuerunt: Maximè cum ſplendidum illud &  
magnificum Templum accederet, totius certè Univerſitatis Capitolium, quod  
ſolido auro undiq<sub>3</sub> radians Romani Jovis Domicilia, Urbisq<sub>3</sub> & Pacis Aedes  
longiſſimè vincebat, cum illud Ipſe DEUS tam manifeſtus ac præſens inhabi-  
taret, quàm ipſum cœlum, & radiantia ex illo ſidera. Nam ut (12) Cy-  
rum, Darium, Xerxem, alioſq<sub>3</sub> prætereamus in præſenti, qui Judæorum  
Sacerdotes ampliſſimis muneribus, verèq<sub>3</sub> Regiis ſumptibus ad Sacrificiorū  
pro ſuā Salute immolationem invitaverunt, ipſe Orbis huius Victor Domitorq<sub>3</sub>,  
Alexander Macedo, quàm promptè, quàm humiliter eos veneratus eſt! E-  
nimverò (13) cum domitis bello Perſis tanquàm Deus adorari vellet, intel-  
ligeretq<sub>3</sub>, Judæos nequè ullā tormentorum vi, nequè ullo ſuppliciorum gene-  
re, ad cultum ſuum moveri poſſe, exacerbato animo exercitum Hieroſolymā  
producebat, de conſtantiā iſtā, ſive, ut ille exiſtimabat, pertinaciā vindi-  
ctam ſumpturus. Sed ecce! cum ſacram & majorem aliis gentibus videret  
Occuſionem, Multitudinem veſtibus albis indatam, Antiftites cum byſſinis  
ſtolis, & Principem Sacerdotum hyacinthinā & aurea ſtolā, ſuper caput ha-  
bentem cidarim, & laminam auream, in qua ſcriptum erat Dei Nomen,  
JEHOVÆ SANCTITAS, Alexander, hominem intuitus, pro-  
cumbit in faciem, & adorat: Deus inquam ille, quem ſummi tum homi-  
nes adorabant, ſupplicem hominem veneratur ſupplex! Stupentibus verò  
Phœnicibus & Chaldeis ad tantam maximi Regis humilitatem, cauſamq<sub>3</sub>  
eius rogante Parmenione, Alexander inquit: Non hunc adoravi, ſed DE-  
UM, Cujus Principatu Sacerdotio fungitur. Nam per Somnium in huius-  
modi Habitu eum conſpexi, adhuc in Dio, Civitate Macedonia conſtitutus,  
dumq<sub>3</sub> mecum cogitaſſem, poſſe Aſiam vincere, incitavit me, ut nequaquam  
negli-

(11) Sap. 17. 24. Philo de Vitā Moſis l. 3. & de Monarch. l. 2. Joſephus Anti-  
quit. l. 3. c. 8. Hieronym. Epist. ad Fabiol. Sixtus Senenſis Bibliothec. l. 2. Barrad, Har-  
mon. Evang. Tom. 2. p. 208. (12) Eſdr. c. 1. & 6. Joſeph. Antiq. Judaic. l. 11. c. 3, 4.  
(13) Joſeph. Antiq. l. 11. c. 8. Sabellic. Ennead. 4. l. 4. Fulgoſus l. 1. c. 5.



negligerem, sed confidenter transirem: Nam se perducturum meum dicebat Exercitum. Ideoq, neminem alium in tali stola videns, cum hunc advertissem, habens visionis & probationis nocturna memoriam, salutavi, exindeque arbitor Divino Juvamine directum, Dariumque vicisse, virtutemque Persarum. Ac posteaquam Parmenioni locutus esset Alexander, Jaddum, tum Principem Sacerdotum, iterum honorans, occurrentibus reliquis ex Levitica Stirpe, ad Civitatem usque pervenit, & ad Templum ascendens, Deo sacrificavit secundum Sacerdotis ostensionem, eidem, & reliquis Sacerdotibus munificentè plurima largitus. In tanta veneratione augustum illud Judaicorum Sacerdotum fuit Munus, & apud eum hominem, qui plures Populos vicit, quam vidit, certè nullà alià ratione, quam quod tacitus agnosceret, illos non Gentium Deos, priscos Reges & Tyrannos, sed Regum Regem, Deorumq, Deum annunciare, Qui pro liberrimo Arbitrio, pro immensà & infinità Potentià, Regna & Imperia transferat, Regesq, ipsos, quasi manu prehensos, educat in aciem, non tam ut pro libidine sua vana Consilia persequantur, quam ut aeterna & immutabilia decreta Ejus, velut Ministri, executioni mandent.

§. 11. Sed & (14) Antiochus Magnus, debellato Ptolomeo Epiphane, & Hierosolymis occupatis, victus Sacerdotii Religionisque Judaica Majestate, edictum per omnes ditiones suas promulgavit, quo severissimè prohibebat, ne Alienigena Templi septa contra Judaeorum voluntatem intrarent, sed soli illi, qui juxta Legis patrie praescriptum purificati prius fuerint: Ne etiam carnes in Urbem ferrent, quas Judaei non attingerent, ac neque Pelles quidem, sed tantum solitas more Majorum victimas, quibus Deus Sibi litari vellet. Qui verò aliquid contra Edictum hoc facere praesumpserat, trium millium Drachmarum argenti mulctam luere Sacerdotibus cogebatur. (15) Antiochus quoque Sedetes cum Hierosolymitanos obsidione urgeret, & ab iisdem rogaretur, septem dierum inducias propter Scenopegia Festum invire, illas non concessit tantum, sed & victimas misit magnificè, tauros auratis cornibus, & pocula tam aurea, quam argentea, referta omne genus Aromatibus.

§. 12. Jam quid de Romanis dicemus, quorum plurimi Judaicum Populum pactis & foederibus, Templum verò, ejusdemq, Sacerdotes muneribus abundantissimis honorarunt? Sanè (16) Augustus Caesar, ut ostenderet, quam sanctè Judaica coleret Sacra, non donariis modo templum auxit munificentissimè, sed sollicitè etiam fugitavit, ut publici ararij impensis, pro ipsius incolumitate quotidiana victima Deo exercituum immolarentur, quem hono-

rem

(14) Joseph. Antiq. l. 12. c. 5; (15) Idem l. 13. c. 16; (16) Idem l. 2. contra Apionem & ex illo Morinus de Verit. Relig. Christ. c. 21.







§. 15. *Quemadmodum autem illi, qui in profundum urinantur, quanto magis descendunt, tanto ad tenebrosiora magis altioraque abripiuntur; ita quoque impientissimi mortales in terram afflicti, (20) homines tandem, hominumque formas, tum viventium, tum morientium in Deorum numerum retulerunt. Postmodum vero, cogitationibus consiliisque deterioribus arreptis, (21) in bruta animantia, ferasque, & beluas, & harum quidem turpissimas quasque, & maxime ridiculus Divinitatem transfuderunt, ita ut pars feles, hircos, boves, arietes, mures, & canes, pars gryphones, aquilas, vultures, vespertiliones, ibes, & accipitres, pars lupos, oves, ciconias, corvos, capras & hircos, pars denique ipsa insecta, & inter illa abjectissimos scarabeos, formicas, muscas & vespas pro Numinibus suis agnosceret, & (22) eos, qui illa vel studio, vel casu lederent, capite mulctatos vitam privaret. Quin & nonnulli in tantum stuporem inciderant, ut & (23) cepe, & allia, & his viliora, etiam talia, quorum sine pudore mentionem injicere non possumus, adorarent, & pro Diis suis haberent.*

§. 16. *Utinam verò vel hic tandem constitisset recordium Audacia, & non ulterius prodiens gravioribus Impietatibus sese contaminasset! Venerabantur enim (O cecitas!) (24) Simulacra, modo ex fornacibus prompta, in incudibus Deos, & malleis fabricatos, plumbatos, constructos, quos etiam milvi, hirundines, araneæ ac mures non sentire sciebant, cum eos roderent, insiderent, ac, nisi abigerentur, in ipso illorum Deorum ore nidificarent, de quo capitibus ipsorum fila sua suspenderent. Hos tamen cum elephantorum ossibus, picturis, taniisque in veteriosis arboribus profanissimi mortalium colebant. Si*

*quan-*

(20) Cyprian. Orat. de vanit. Idol. Clemens in Protrept. Tertullian. Apologet. c. 23. 24. 25. 28. Augustin. de C. D. l. 8. c. 23. l. 18. c. 19. Theodoret. serm. 6. de græc. affect. eur. Minut. Felix in Octav. Lactant. l. 1. c. 8. 14. Cyrill. 6. cont. Julian. Isidor. Origin. l. 8. c. 11. Isidor. Pelusiot. l. 2. Ep. 177. Cicero l. 3. de N. D. & l. 1. Tuscul. 99. Horat. l. 3. od. 3. l. 2. Ep. 1. Sueton. in Domitian. c. 13. in Augusto c. 52. Heliodor. l. 3. Æthiop. Pausanias in Phocicis. Ammon. in vit. Aristotel. Justin. l. 12. cap. 12. Agellius l. 3. c. 11. l. 17. c. 21. Martial. l. 10. Epigram. Propert. l. 3. eleg. 3. Herodian. l. 4. Diodor. Sicul. l. 3. Rosin. Antiquit. p. 478. Kirchmann. de funerib. Roman. l. 4. c. 13. 14. (21) Clemens Roman. l. 5. Recognit. Alexandrin. Protreptic. Ambros. in c. l. Ep. ad Roman. Theodoret. l. 3. de græc. affect. eur. Euseb. præp. Evang. l. 1. c. 6. l. 2. c. 1. Hieronym. in Joel. c. 3. Strabo l. 17. Cicero l. 5. Tusc. 99. l. 1. de L. L. & l. 1. de N. D. Herodot. Euterp. Xenophon. l. 1. Plutarch. de Isid. & Osirid & Symposiac. l. 4. q. 5. Morneus de U. R. C. c. 22. Joh. Rainoldus de Idololat. Eccles. Rom. l. 2. c. 3. Alexand. ab Alexandr. l. 6. c. 26. (22) Minut. Felix Octav. Mela de situ orbis l. 1. c. 9. Joh. Bohemus de ritib. Gent. l. 1. c. 5. (23) Chrysostr. in Genes. c. 1. Clemens Recognit. l. 5. Casarius dial. 1. Hieronym. in Esa. l. 13. c. 46. Augustin. de C. D. l. 16. c. 38. Diodor. Sic. l. 1. c. 7. N. Comes Mytholog. l. 5. c. 13. Vives in l. 1. de C. D. c. 20. Erasmi. Adag. Pfallus Deo Apulejus Apologiâ. Scaliger ad Euseb. p. 198. (24) Arnobius. l. 1. ad versus gentil. Horat. l. 1. satyr. 8.



quando conspexerant lubricatum lapidem, & olivi unguine odoratum, tanquam inesset vis praesens, adulabantur, affabantur, & Beneficia poscebant, nil sentiente trunco.

§. 17. Imò tantoperè quidam mente erant prolapsi, tantisq; tenebris involverant animum, ut, (25) quae nequaquam ulla ratione esse poterant, aut nunquam conspecta essent, ea & excogitaverint, & Numina fecerint, quippe qui bruta rationabiliq; animantia invicem permiscentes, & in unam speciem comprehendentes pro Diis colebant, quales apud Aegyptios erant Canicipites, Serpenticipites, Asnicipites, & in Lybia Jupiter Ammon, vervecino capite figuratus, aliaque Simulacra, quae & à lumbis hircos, & à cruribus serpentes, & planta vel tergo alites representabant: Quae caprina facie, rubro colore, hirtis cornibus, pectore sideribus radiante, infima sui parte hispida, & caprino pede essent. Et has figuras Numina vocabant, quae certè si accepto spiritu subito occurrissent, horrenda terribiliq; Monstra fuissent visa.

§. 18. Alii denique adhuc magis sceleratam Superstitionem amplificantes, (26) flagitiosissimos quosq; Homines, mendaces, sicarios, versutos, & flexuosos, perjuros, raptotes, cinedos, adulteros, pedicones sibi Deos fingebant. Hinc toto ferme terrarum Orbe sacra fiebant illis Diis, (27) quorum summum negotium, quorum maxima voluptas, etiam ex Cultorum sententiâ erat, discordiarum & discriminum causas inter gentes, terrarum longinquitate disjunctas serere, conducere ex diverso tot mortalium millia, & intra verbi unius moras campos cadaveribus aggerare, sanguineos precipitare torrentes, fundatissima delere imperia, aequare urbes solo, libertatem ingenuis abrogare, & servitutis imponere conditionem, virgines jam desponsatas, iam destinatas, & non-nullas de matrimonio mulierculas sine morâ rapere, violare, illudere, & cum earum Parentibus, cum Soceris suis bellum miscere, & propinquum effundere sanguinem, gaudere dissensionibus civilibus, commorientiumque fratrum parricida nece, & ad ultimum filiorum & Patrum parricidalis congressionis horrore. Quorum nutu, vi, ac potestate in vilissimi nominis scorta suam Nobiles saepius proderent dignitatem, dissolverentur tenacium Matrimoniorum nexus, incesta libidine sanguinis inardesceret necessitudo, Matres in liberos insanirent, Patres virginum suarum in se verterent vota, Senes contra decus aetatis in obscœnos curis juvenilibus gemerent appeti-

b. 2

tus

(25) Minutius Felix Octav. Athanas. Orat. cont. Idol. Tertullian. Apologet. c. 16. Alex. ab Alexandr. l. 4. c. 17. (26) Gregor. Nazianzen. Orat. ad Nemes. Tertull. Apologet. c. 13. Athenag. Apol. pro Christian. Lactant. l. 1. c. 9. 20. Halicarnass. l. 1. Plin. l. 18. c. 2. Lucian. Prometh. tom. 1. p. 173. Turneb Adversar. l. 11. c. 1. Macrobb. l. 1. c. 10. (27) Arnob. l. 3. & 7. Augustin. de C. D. l. 1. c. 12. Minut. Felix Octav. l. 1. c. 1. Liv. decad. 1. l. 1.



*tus, Sapientes ac fortes viri, mollito virilitatis vigore, constantia solverent decreta, laquei cervicibus innecterentur, rogi ardentis conscenderentur, & per vastas atque altissimas rupes voluntariis saltibus passim precipitia fierent. Qui minimis libentissimè commodarent aures, tametsi seipsos in derisionis materiam eorum symplegmatis intermixtos esse nossent. Qui delectarentur stupidorum rasis capitibus, salpictarum sonitu atq; plausu, factis & dictis turpibus, quin & ingentium facinorum maximo rubore. Qui ex immoderata letitia ad caelum tollerent manus, prosilirent, exclamarent, si vidissent in foemineas mollitudines enervantes se Viros, vociferare hos frustra, sine causa alios cursitare, alios salva amicitiarum fide se runderè, & crudis mutilare cadibus, certare hos spiritu, buccas vento distendere, votisq; inanibus concrepare. Qui pecorum sanguine, cadibus, & mactationibus hostiarum gauderent, & letarentur, inque gratiam cum hominibus redirent. Qui aris tinnitibus, tiliarum sonis, equorum curriculis, & ludis theatralibus afficerentur, eorumque satisfactione conceptas iras mollirent. Qui immundorum quadrupedum ritu in libidinum traherentur furias, rapidisque cupiditatibus mutuas inirent complexiones, & ad postremum fractis dissolutisque corporibus voluptatis enervatione languerent. Quorum sequior Sexus circumactis mensibus suas leges persolveret, fastidiosos duceret & haberet conceptus, abortum pateretur, praepropero partu septimanas aliquando ederet foeturas, gliscentibus per dies alvis intestini ponderis morositate cunctaretur, jam tractu longo urireret, & obstetricis quæreretur manus, jam telis gravibus, & dolorum acuminibus fixis ejulareret, hortaretur, & inter haec omnia Junonis imploraret suppetias.*

*§. 19. His stupendis Deorum Monstris qualem cultum ac venerationem exhibuerint, ipsi facillimè auguramini, Domini & Auditores! (28) Sanè cum ad sacrificandum accederent, nihil intimum, nihil proprium offererent Diis: Non Mentis integritatem, non reverentiam, non timorem, atque adeò ubi sacrificia inania peracta essent, omnem Religionem in Templo, & cum Templo, sicut invenerant, relinquebant, nihil secum ex illo aut afferentes, aut referentes. Minus hoc esset, nisi contemptui addidissent malitiam, & pro Sacris Sacrilegia peregissent nefanda, & ejusmodi facinora, quae alibi si facta fuerint, severissimè etiam vindicantur. (29) Bachanalia certò tantà licentia celebrabantur, ut Nympharum & Heroum habitu Bachantes in forum prodirent, & ad sonum tibiae cum lascivâ gesticulatione compositis modis psallerent, vinumque cum bellariis magna bibendi licentia circumferrent. Quae Sacra, praeterquam quod per anum deliram & temulentam indicerentur, eò insolentiae processerant, ut Mulieres Virique, ornati haderâ, crine fluxo, lymphatis*

(28) Lactant. l. 5, cap. 20. (29) Alex. ab Alexand. l. 6, c. 19. Sabellic. Ennead. 5. l. 7.



phatis animis debachati, cum thyrsis, velut insanientes & furore afflati, ob-  
vivos quosq; ferirent, nocteq; incidente incestus ac stupra cum strepitu & u-  
lularu committerent. (30) In Lupercalibus eadem ratione nudi per urbem  
currebant larvati, flagellis obvios eadentes, putabanturq; ex eo Matrone ste-  
riles fecundari. (31) Floralia cum omni luxu & lascivia celebrabantur,  
convenientibusq; propudiosissima, & in vulgarem libidinem prostituta mere-  
trici actionibus. Nam prater verborum licentiam, quibus obscenitas omnis  
effundebatur, exuebantur etiam vestibus, populo flagitante, meretrices, que  
Mimorum officio tunc fungebantur, & in conspectu populi usq; ad satietatem  
impudicorum luminum, cum pudendis motibus detinebantur. (32) In Ma-  
juma etiam celebritatibus non solum meretrices absq; omni pudore versabantur  
in theatris, sed insuper, lecto in orchestra collocato, adulteria ad vivum repre-  
sentebant. (33) Phoenissae mulieres ante ipsa idola prostituiebantur, dedican-  
tes Numinibus suum questum, persuasae, foedissimo meretricatu illa propitiari.  
(34) Corinthi quoque supra mille prostitute in templo Veneris assidue degebant  
meretrices, que inflammata libidine questui dabant operam, & velut Sacro-  
rum Ministrae Deis famulabantur. Quin etiam viri abdicato sexu, nec se  
amplius mares esse ferentes, mulierum naturam affectabant, tanquam ita ho-  
norifica & grata Matri Deorum facturi. (35) Herculis Sacra non bonis  
precationibus, non votis pro pietate, sed maledictis, sed ludibriis & execra-  
tionibus celebrabantur, eaq; pro violatis habebantur, si quando inter sa- risi-  
cia & solennes ritus vel imprudenti alicui bonum verbum excidisset. In (36)  
Eleusiniis, in Priapi, in Liberi solennitatibus talia fiebant, que enumerare  
ac persequi probus nemo audeat, nec sine summa foeditatis horrore mentis ima-  
ginatione concipere.

§. 2c. Usq; adeo ignara Superstitio hominum depravabat animos, &  
sapientes quoq; transversos agebat! Atq; utinam vel hic tandem impurissimo-  
rum substitisset malitia, & illos non ad tam barbaram, tam feram immani-  
tatem traxisset, ut Deos suos propitiari maxime crederent, (37) cum per cru-  
ciatus

B 3

(30) Plutarch. in Romulo. Prudent. de Martyrib. Roman. & in eum Joh. Si-  
chardus p. 130. Lactant. l. 1. c. 21. Fenestella de Sacerdot. Rom. c. 3. item que Raphael  
Volateranus & Henricus Bebelin. Val. Maxim. l. 2. c. 2. Autor Origin. Gent. Rom.  
p. 777. Ovid. l. 2. Fast. Halicarnass. l. 1. (31) Arnob. l. 7. Lactant. l. 1. c. 20. (32) Meur-  
sius Glossar. Græcobarb. & Commentatores in Codic. l. unic. de Majum. (33) Atha-  
nas cont. Idol. (34) Alexand. ab. Alexand. l. 6. c. 29. (35) Lactant. l. 1. c. 20. Alex-  
ab. Alexand. l. 2. c. 14. (36) Tertullian. advers. Valentin. c. 1. Cyprian. l. 2. Ep. 2. Na-  
zianz. Orat. in sancta Lumina. Hieronym. in c. 4. Ose. Augustin. de C. D. l. 6. c. 9. &  
l. 12. c. 14. Theodoret. l. 3. & 4. de græc. affect. cur. Minutius Felix in Octav. (37)  
Tertullian. Apologet. c. 9. contra Gnostic. c. 7. Athanas. Orat. cont. Idol. Hieronym.  
in Esa. l. 13. c. 46. Clemens admon. ad Gent. p. 6. Porphyrius *Ἐπιτομή*, Euseb.  
de



ciatus & tormenta homines excarnificarent, & eorum cruore ignem tanquam oleo, pascerent! Enimverò Scythæ naufragos quoscunque ex Græcis capissent, Diane pro hostiis jugulabant, tantâ impietate adversus homines, ejusdem conditionis utentes, ut quos Veri Numinis cura ac providentia à marinis fluctibus & periculis liberasset, eos mactarent, ipsi aterna Providentia infesti, quippè qui illius Beneficium efferatâ crudelitate evertabant. Albani homines, sacris initiatos, sanctitatèq; pollentes, diu servabant, & tandem satis opiparè saginatos, apud aras sistebant, eosdemq; ferali carmine excantatos, quibusdam additis precationibus, cum aliis hostiis immolabant. Carthaginenses verò & Phœnices, infantes, qui Principum filii erant, sorte ductos, regio ornatu crudelissimè jugulabant: Quod cum aliquandò facere desissent, & victi postea essent ab Agathocle, Dæmon suggestionibus suis tantum effecit, ut Deos illi suos sibi subiratos putarent, eosq; ducentis Nobilium filiis, ad aras cæcis & trucidatis, supplices placarent. Romani, Orbis Domini, quibus & Fœdera, & Leges, & Sacra plurimis Nationibus dare imperium erat, Græcum & Græcam, totidemq; Gallos in foro Boario ad placandas Deorum iras sub terram vivos defodebant, licebatq; apud Populum, Mundi terrorem, homines in Sacris interimere, modò illi Saturno, aut Latiali Jovi in victimas offerrentur. Alii Marti ex prælio reduces, deportato triumpho, bello captos centesimabant, pro centuriarum numero hostias humanas cadentes. Maxima mortalium pars Deos aliter ritè consuli negabat, nisi jugulato homine ad Deorum aras, ex cuius casu, tum ex membrorum laniatu, & sanguinis fluxu futura divinabant.

§. 21. Ipsi Germani quales eramus, (38) cum Dæmonum cultui non tantum dediti essemus, sed etiam barbarico planè ritu Mercurio humano cruore certis diebus litare religiosissimum duceremus? (39) Cum arboribus formosis, fontibusq; ac trunco ligno, non exigua molis, sub Dio erecto, patriâ lin-

gna  
de præp. Evang. l. 7. c. 9. Cyrillus l. 4. cont. Julian. Soctates l. 5. c. 16. Plato in Minoe, Diodor. Sicul. l. 5. Justin. Apologet. 1 & 2. Plutarch. de Superstition. & vindict. divin. tarditat. Justin. l. 18. c. 6. Cæsar de bello Gallic. l. 6. Rufin. l. 4. c. 3. 38. Sil. Italic. l. 4. Lilius Gyrard. Hist. Deorum Syntagmat. 17. Nicet. ad Orat. 39. Nazianz. Vives in c. 19. l. 7. de C. D. Erasmus adagio: Embarus sum. Philipp. Caroli Var. Lect. l. 1. c. 2. Solinus Polyhistor. c. 25. 35. & in illa Joh. Camert. enarrat. Nat. Comes l. 1. c. 18. Alex. ab Alex. l. 3. c. 12. & 21. l. 5. c. 26. l. 6. c. 8. 26. Hungerus Orat. part. 1. p. 47. Plin. l. 18. c. 1. Peucerus de Divinat. p. 370. 71. Selden. de DIS Syr. Synt. 1. c. 6. Polyd. Virgil. de Invent. Rerum l. 5. c. 8. Reines. i508µ. Ling. Punic. c. 7. Meursius l. 1. de Regib. Athen. c. 11. Neander Exposit. in Theogn. Hugo Grotius de Verit. Rel. Chr. l. 2. p. 43. David Lindnerus Disp. de Sacrific. Gentil. th. 4.

(38) Tacit. de morib. German. Heiderus Oration. Vol. 2. pag. 642. Herman. Conring. de Majest. Civil. Autoritate circa Sacra th. 105. ex Eginharto. (39) Johan. Boemus de morib. Gent. l. 3. c. 13.



quã Irminsaul dicto, cultum ac venerationem exhiberemus? Cum proprium  
 fermè nostrum esset, avium voces volatusq; interrogare, quin & equorum  
 presagia & monitus experiri? Cum illos hoc nomine in nemoribus ac lucis,  
 Diis consecratis, aleremus, candidos, & nullo mortali opere contactos, eosdem-  
 que sacro curru pressos, Sacerdotes, vel Reges, aut Principes civitatum comi-  
 tarentur, hinnitusq; ac fremitus eorum observarent? Cum nulli auspicio ma-  
 jorem adhiberent fidem non Plebeji solùm, sed etiam Proceres, & Sacerdo-  
 tes, eò quod illos Deorum Ministros esse, Divinorumq; Consiliorum conscios  
 crederent? Cum deniq; aliarum gentium immanitatem secuti, parricidium,  
 tetrum sanè & execrabile humano generi facinus, Sacrificium vocaremus, il-  
 losq; probaremus, qui teneras & innocentes animas sine ullo pietatis respectu  
 extinguebant, bestiarum crudelitatem immani feritate superantes? Crudelif-  
 simi namq; genitores, omnium seminum optimum, humanum sanguinem esse  
 per insaniam persuasi, magis quàm beluinã immanitate (40) in proprios par-  
 tus, in propria viscera sua seviebant, & illa nonnunquam nondum matura  
 ingenti vulnere ex utero materno per vim scissa & tracta, suis manibus ma-  
 etabant, calidisq; demonum immolabant aris, qui sancto & venerabili cruo-  
 re honorati, sanguinem humanum magis magisq; sitiebant, (41) & omnes in-  
 nocentissimè trucidatorum lugubres voces, vociferationes, lachrymas, clamores,  
 ejulatus ac plandus tympanorum, tiliarum, lituorum, buccinarum, cor-  
 nuum, fistularum, sistrorum, lyrarum, cymbalorumq; ac tubarum clangore,  
 cantu, sonitu, ululatu ex carnificum auribus & animis propellebant. Usq;  
 adeò insanabilis dementia hominum occupaverat mentes, ut propitiis Diis illa  
 facere juberet, quæ vix iratissimi postulare jure poterant! Ut Homines religio-  
 nis specie parricidiis inquinaret, humanisq; sensibus spoliatos, inter ipsas etiam  
 aras scelera committere juberet!

§. 22. Quid ergò mirum, si ex Delubris, ex Templis, Sacrisq; A-  
 dibus tantam feritatem ad Theatra etiam & Scenas traxerunt, (42) inque  
 iis ludere se ac joculari opinati sunt, si homines aut interfecissent ipsi, aut alius  
 occidere permisissent? Constitutos enim sub ictu mortis, & misericordiam de-  
 precantes, non tantum patiebantur per ludum occidi, sed & efflagitabant quo-  
 que, & ad Mortem crudelia & inhumana Suffragia ferebant, nec vulneri-  
 bus satiati, nec contenti cruore. Quin & percussos ac jacentes repeti jube-  
 bant, ictibusque cadavera dissipari, ne quis illos simulatã morte illuderet.  
 Irascebantur etiam pugnantibus, nisi celeriter è duobus alter occisus esset, &

tan-

(40) Plato l. 4. de Rep. Aristot. l. 8. Polit. c. 16. Lucan. l. 6. p. 99. l. 2. & 3. Co-  
 dic. de infant. exposit. l. 4. ff. de agnoscend. & alend. liber. Lactant. l. 5. c. 6. l. 6. c. 20.  
 Theodoret. serm. 9. de græc. affect. cur. Justin. Apolog. 2. Boemus l. 3. c. 3. (41) Vide  
 Joh. Guilhelm. Stuck, in description Sacrorum Gentil. p. 112, 114. (42) Lactant. l. 6.  
 cap. 20. Prudent. cont. Symmach. p. 232.



tanquam humanum Sanguinem sitirent, omnes moras odio habebant. Ita  
scelerati isti congressus plerumque insaustrissima gladiatorum pugna, mortibus  
juvenum, & humano cruore pastis voluptatibus finiebantur, & rarissime tristia  
Spectacula ab amphitheatrali aberant pompa!

§. 23. Quod si à cadibus istis, humaniq; sanguinis effusione crudeles  
abstinerent manus, in Scenis (43) de stupris Virginum, aut meretricum A-  
matoribus loquebantur, dumq; fingerent Mimi adulteria, eadem docebant  
Spectatores, simulatis sceleribus ad vera erudientes. Evirabantur mares in  
theatris, omnis honor & vigor sexus enervati corporis dedecore emolliebatur,  
plusq; auditoribus placebat, quisquis aut virum in foeminam magis fregisset,  
aut numerosis & ornatis versibus, elegantiaq; Sententiarum ad libidinem ex-  
citasset spectantes. Et haec omnia tantà fiebant licentiâ, ut neque Diis suis,  
quos in Templis colebant, parcerent in Theatris, (44) sed & Mœchum A-  
nubim, & masculum Lunam, & Dianam flagellatam, & Jovis mortui te-  
stamentum recitatum, & famelicos tres Hercules publicè cum risu spectarent  
& audirent. Ipsis letantibus Sol filium suum de caelo jactatum lugebat, ade-  
ratq; tot etatibus levis Apollo, Vulcanus claudus & debilis, Aesculapius  
benè barbatus, & nihilominus semper Apollinis adolescentis filius, Neptunus  
glaucois oculis, Minerva caesis, bubulis funo, Mercurius alatis pedibus, Pan  
ungulatis, compeditis Saturnus, Janus duabus frontibus, Diana veribus in-  
structa, Ephesia multis mammis, Trivia trinis capitibus & manibus mul-  
tis, ipse Jupiter modò imberbis, modò barbatus, Hammon cornibus arieti-  
nis, Capitolinus fulminibus, cruore Latiaris, jam Ganymedem rapiens, jam  
furtiva adulteria committens, jam filii mortem agrè indignanterq; ferens, jam  
Minervæ, Junonis, Neptuni, aut reliquorum Deorum insidias sentiens ac  
deplorans, jam voluptatibus succumbens, mulierculisq; ministrans, & illa-  
rum gratiâ sub brutorum animantium, quadrupedum, & volucrum formâ,  
suam ipsius speciem adducens: Denique Ledam, Alcmenam, Dianam, Ma-  
jam, Europam, Danaen, & Antiopam, quin & suam ipsius Sororem violans  
& constuprans. Atq; haec quidem Spectacula singulari arte & industriâ  
Histriones peragebant, adeò, ut ab omnibus facillimo negotio intelli-  
gunt, (45) quod vel sola Demetrii confessio indicat, cum publicè exclamaret:  
Audire se, quæ agebantur, nec videre tantum, postquam Pantomimorum  
aliquis & Veneris Martisque adulterium, & Solem, furtivi concubitus prodi-  
torem, & Vulcanum insidiantem, & Deos, spectaculo assistentes, & Venerem

suffuso

(43) Augustin. de C. D. l. 1. c. 32. l. 2. c. 8. l. 4. c. 25. Cyprian. l. 2. Ep. 2. Lactant.  
l. 6. c. 20. Vives in l. 2. de C. D. c. 25. (44) Tertullian. Apologet. c. 15. Athanas. Orat.  
cont. Idol. Miut. Felix Octav. Lactant. l. 5. c. 21. (45) Lucian. tom. 4. orat. de Salta-  
tion, p. 133. & ex illo Philipp. Caroli Var. Lect. l. 1. c. 2.



suffuso rubore pudefactam, & Martem meticulosius supplicentem, & quacumque alia haec Fabula continebat, publicè presentasset.

§. 24. Qualem hanc Religionem fuisse putatis, Domini & Auditores! Qualem illam Majestatem, quae adorabatur in Templis, in Theatris vero illudebatur, & per Mimos cum publico spectantium visu exagitabatur? Cuius temerarij illudores, non modò poenam violati Numinis non pendebant, sed honorati etiam, laudatiq; desendebant, plausum, favorem, clamorem prolixè promerentes? Per quam denique quodvis scelus, quodvis flagitium & facinus non solum impunitum manebat, sed etiam laudabile & honestum habebatur, velut Deo, qui illud exercuit, gratum & iucundum. Qui enim foedo impuroq; delectabantur adulterio (46) Jovem respiciebant, & inde cupiditatis suae querebant fomenta, probabant facta ejus, imitabantur, laudabant, quod DEUS ipsorum jam in Cygno fallat, mox rapiat in Tauro, rursus in Satyro ludat, iterum inclusam Regiam Virginem auro largiter fluente corrumpat. Qui puerorum flagrabant amplexibus, (47) Ganymedem in sinu Jovis allegabant, Herculem impatienti amore Hylam quarentem, Hiacynthi desiderio captum Apollinem. Qui monstroso cupiditatis ardore in paterna necis armabantur exitium, Jovem iterum sumebant pro exemplo. Qui fraternum desiderabant sanguinem, Corybantum Romulique imitabantur institutum. Qui inferiores emulo persequerentur stridore, cupiebantque adversarios crudeli feritate torquere, ab Apolline, ex Marsya casibus crudelium tormentorum discebant modos. Qui alienum, etiam cum Domini morte, illegitimè desiderabant, Herculem, occiso Geryone Iberas Oves abigentem, sequebantur. Qui promiscuam hominum gaudebant caede, praeposteras Martis respiciebant cupiditates. Ut paucis multa dicamus: Semina omnium scelerum ac flagitiorum à suis Diis peccantium colligebat turba, neque perditus animus impune quodlibet facinus admittere posset, ex precedentibus exemplis majore se defendebat auctoritate. O facinorosa Cupiditatis plusquam tristitia Solatia, quae universum prope terrarum Orbem miserabili & horrenda facie quorumvis adulteriorum, fornicationum, criminumque ac flagitiorum coluvie repleverant, & homines ad gulam, luxuriam, crudelitatem lasciviam, & matronarum virginumque prostitutiones, ad rapinam, cedes, dolos, turpitudinem, propriorumque viscerum, pignorum charissimorum expositiones, strangula-

(46) Augustin. de C. D. l. 4. c. 27. Tertullian. Apolog. c. 22. Theodoret. Serm. 8. de græc. affect. cur. Cyprian. l. 2. Ep. 2. Nazianz. Orat. 1. cont. Julian. & Orat. ad Nemef. p. 830. Clemens adhort. ad gent. p. 3. Firmicus de error. prof. relig. Prudent. cont. Symmach. l. 1. Athenagor. Apol. pro Christian. Epiphani. in Anchorato Ovid. l. 5. Fast. & l. 6. Metamorph. Plautus Amphitruon. (47) Arnob. l. 4. Prudent. cont. Symmach. l. 1. Apollodor. Biblioth. l. 1. & 3. Valer. Flacc. Argonautic. l. 3. Hygin. fab. 270.



Strangulationes, & suffocationes instigaverant, ita, ut nihil aliud restaret, quam ut ipsi Cælo insanis conatibus, nefarioq; Gigantum ausu, scalas admoverent, & Superiorum vastarent exseinderentq; Domicilia!

§. 25. Quam verò pulchrum & admirabile spectaculum, pro deformi isthoc, & detestando, & execrabili Divina Clementia, per augustissimum Sacerdotii Munus universo Orbi dedit! Neque enim in tantâ malorum omnium sentinâ & colluvie fulmina ac tonitrua torquet justissimus iuxta ac Severissimus Jdex, quibus in eterne damnationis barathrum trucidaretur idololatricum genus: Non vasto frementiq; diluvio hoc univèrsum obruit, neque horrenda cruciatuum machinatur tormenta, ut supplicia sumat à Sceleratorum manibus. Potius Unicum, Propriumq; ac Sibi per omnia Equalem Filium, Illum Ipsum, Qui supra cælum cæli ab aeterno ad gloriæ suæ splendorisq; Orientem ascenderat, in humanam carnem demittit, ea, qua mixtionem nesciebant, miscens, & non modo Nativitati DEUM, & Carni Mentem, & tempori temporis expers, & dimensionem illud, quod nullâ dimensionem circumscribi potest, sed Virginitati quoque Procreationem jungens, ut hoc Optimo Maximoq; Sacerdote ac Pontifice, hoc Supremo omnium Doctore & Duce, humano generi salutis via, cæli scala, eterna vita semita, omniumq; adeo Fidelium cum Divinâ Immortalitate junctura manifestaretur & patefieret. Quenam hæc Divina Bonitatis divitiæ? Quodnam nos circumstat Mysterium? DEUS pro ardentissimo erga homines desiderio, illud, quod non erat, assumit, intermediaq; carne incomprehensibilis comprehenditur, quasi velo quodam interjecto nobiscum versans, quandoquidem propter creatam, interituque obnoxiam Naturam nostram puram ipsius Divinitatem ferre non possemus! Et quo fine de Sublimitate suâ descendit DEUS? Certè etiam illo, qui cœlitus demissâ voce nobis manifestatus est, ubi Optimus Servator in Officio inauguraretur publicè, inque Jordane purgaretur, vel potius Ipse aquas purgatione suâ purificaret in Lavacrum nostræ Regenerationis. Et quenam tandem erat illa vox? (48) Hic est Filius Meus Dilectus, in Quo beneplacitum Mihi est: Hunc audietis! Igitur hoc etiam nomine de cælo descendit Cæli Terræque Creator ac Conditor, ut immortalitatis imperium mortalibus manifestaret verbi predicatione, hominesque prona mente ac voluntate gratiosissime revelata accipientes, per Eum, tanquam fidelissimum Salutis suæ Propugnatores, in beatitudinis via & erudirentur, & ducerentur. Atque hoc quidem tanto studio, tanto fervore ac zelo ab Optimo Servatore præstitum est, ut Ipse in ultima cœna Patrem alloquens diceret: (49) Ego Te clarificavi super terram: Opus consummavi, quod dedisti mihi, & manifestavi Nomen Tuum hominibus! Quin etiam in ipso vite suæ termino, cum diram illam ac feralem

(48) Matthæ, III. 17, Marc, I. 11, (49) Johan. XVII. 4,



de morte subeunda sententiam jam iam praestolaretur, (50) in hoc Senatam esse asserbat, ut testimonium Veritati perhibere, non secus, ac si totum Ejus Officium fuisset, per sacrae Prædicationis negotium homines ad Verum Aeternumque Deum reducere.

§. 26. Cum tamen non ad docendum modo & evangelizandum missus esset erudita lingua Doctor, sed ut acerbissima & luctuosissima Morte faces in sempiternum exitium totius humani generis ardentes extingueret, & de Pec- cato, Morte, Diabolo, Inferno, omnibusque eorum Potestatibus triumphans, gloria sua splendore, tanquam purissimis vestibus amictus, in aeternas illas, si- dereisque facibus illuminatas domos, imò ipsius etiam aeterni Patris Sinum re- verteretur, à se vocatos Apostolos ac Discipulos ordinavit, qui Spiritus San- cti primitiis repleti, universum Orbem peragrarent, & Imperatores, Reges, Civitates, omnes denique Regiones Evangelii prædicatione domarent, errori- busque foedissimis extirpatis, ad Christi suavissimum & maxime salutare fu- gum pertraherent. DEUM immortalem! Quam hic Sacratissimi istius Mu- neris admiranda planè ac stupenda Divinitas & Majestas Mundo se conspici- endam præbuit! Enimverò inveterata erat plurimorum Seculorum diuturni- tate immanis illa, & barbara, & detestanda Superstitio, quam descripsimus supra, tantisque in Mundo egerat radices, ut illam non modò vi & armis, sed ipsa etiam vitâ defendendam profanissimi mortalium susciperent. (51) Hinc quicquid Magnates potentia, Tyranni crudelitate, Philosophi, Oratores, & re- liqui, Doctrina Sipientiaque laude pollentes, astutia præstare poterant, id omne contra resuscitati JESU veritatem ac fidem conferebant, visuri, utrum illam aeterno exitio mulctatam è rebus humanis funditus exscindere possent. Toto terrarum orbe excogitabantur carnificina, novis, invisis, inauditis supplicio- rum tormentorumque generibus referta. Instruebantur vivicomburia, cru- ces, tauri aenei, igne calentes, virgæ plumbata, ferrei pectines, & alia tor- mentorum genera, saltem, ut Ecclesia, jam lato Christianorum partu aliquan- tisper turgens, Persecutionum procellis, & humani sanguinis fluctibus planè obrueretur. Imò verò & ipsi hujus Mundi Principatus, Demonum Potes- tates, Diabolorumque exercitus, in tenebris regimen suum exercentes, junctis copiis, collatisque quasi signis pro Dominio suo in genus humanum infesto satis agmine præliabantur.

c. 2.

§. 27.

(50) Johan. XIX. 37. (51) Cyprian. l. 2. Epist. 6. cont. Demetrian. tractat. 6. Justin. cont. Triphon. & Apolog. 2. pro Christian. Theodoret. Hist. l. 3. c. 38. Ter- tullian. ad Scapulam & cont. Demetrian. Nicephor. Hist. Eccles. l. 4. c. 17. Euseb. l. 5. c. 1. 3. Lactant. l. 5. c. 2. Haimo Episcopus Halberstadiensis Hist. Eccles. l. 3. c. 13. l. 4. c. 2. l. 8. c. 1. Beda. Martyrologio. Freculphus l. 2. c. 20. Orosius l. 7. c. 19. 22. Centu- riatores Magdeburgens. cent. 2. cap. 3. cent. 4. cap. 3. Tacitus l. 5. Annal. Sueton. in Neron. Egid. Hunnius de Majestas. Scriptur. p. 35.



§. 27. *Ac cum aperto Marte contra Christi Confessores pugnare non possent, per cuniculos, per fraudes & insidias res suas agebant, dum cultorum suorum opera per mendacia spargebant, (52) eos, tanquam deplorata, illicita, ac desperata factionis homines, grassari in Deos, de ultima face collectis imperitioribus, & mulieribus credulis, sexus sui facilitate labentibus, plebem profana conjurationis instituere, nocturnis congregationibus, jejniis solemnibus, & inhumanis cibis, non sacro quodam, sed piaculo foederari, Tempia, ut busta despiciere, ridere Sacra, Sacerdotum honores & purpuras despuere, occultis se notis & insignibus noscere, & amare inuicè panem, antequam novissent, turpissima pecudis caput consecratum inepta persuasione venerari, misceri inter illos quandam veluti libidinum religionem, & se promiscuè fratres appellare ac sorores, ut etiam non insolens stuprum intercessionem sacri nominis fieret, ad epulas solenni die coire cum omnibus liberis, sororibus, ac matribus, & ubi incaluerit vinum, extincto conscio lumine impudentibus tenebris nexus infanda cupiditatis involvere per incertum sortis, infantes caecis occultisque vulneribus in sacris occidere, eorum sanguinem lambere sitienter, membra certatim dissipere, his hostis foederari, his facinorum conscientia ad silentium mutuum pignorari! Tanta, tamque atrocia Scelera ac Crimina purissimis istis castissimisque Animabus ipsi omnium hominum sceleratissimi imputabant, & ut iis aliquam saltem veritatis conciliarent speciem, (53) servos comprehendebant ex illis qui, cum Demonis instinctu tormenta pertimescerent, quae Sanctis inferri videbant, monentibus se in hoc ipsum militibus, quibus ita praeceptum fuerat, commenti sunt adversus Christi Praecones ac Confessores, velut Thyestes coenas, & incesta Oedipia perpetrantes, & alia, quae nec proloqui, aut cogitare fas est, & qualia ne credere quidem possumus, apud homines aliquando esse gesta. Quin indignissimas quoque mulierculas, de trivio conquistatas, coram judicio sibi faciebant iniquissimi juxta ac sceleratissimi iudices, cogebantque eas, actis profiteri, fuisse se quondam Christianas, & scire, quod inter ipsa Mystera eorum spurca quadam & impura committerentur. Quae cum de ipsis diffamata essent in vulgus, horrore maximo & execrationi apud omnes homines esse coeperunt, etiam apud eos, qui prius aliquid moderationis erga illos servandum esse asserbant.*

§. 28. *Imò usque adeò malus ille genius hominum dementaverat animos, ut Christianos (54) omnium poenarum ac infortuniorum unicam dicerent*

(52) Tertullian Apologet. c. 7. 8. Origen. l. 6. cont. Cels. Justin. Apolog. 2. pro Christian. Orat. ad Anton. & de Verit. Rel. Christian. Euseb. l. 4. c. 8. Minut. Felix. Octav. Athenagoras Apolog. pro Christ. (53) Justin. ad Senat. Roman. Euseb. l. 5. c. 1. l. 9. c. 5. Nicephor. l. 4. c. 17. Haimo Histor. Eccles. l. 5. c. 2. (54) Tertullian Apologet. c. 39. Cyprian. cont. Demetrian. Origen. in Matth. c. 24. tract. 28. Augustin. de C. De. l. 3. c. 31. Euseb. Hist. Eccles. l. 9. c. 7.



rent causam. Si Tiberis non ascenderet in mœnia, si Nilus arva non irrigaret, si coelum staret, aut ex illo rarus imber descenderet, si arenis campis semina deficerent, si vix jejunas & steriles herbas gleba produceret, si terra pulveris situ squaleret, si aërem pestilens aura corrumpere, si vineam debilitaret grando, si locusta & mures prodigialiter effervescerent, si fames, si lues, si bella miseram lancinarent mortalitatem, omnium illorum incommodorum Authores Christiani habebantur, & vulgò ad leones damnabantur ac bestias, (55) ita, ut nec casta, & Mundo fermè sublimiores Virgines à tam atroci sevitia immunes essent, sed vestibus spoliata & exuta, posteaq; detonsa ac dissecta, partim etiam tortorum dentibus nefariè comminuta ac discerpta, pro epulo comederentur, crudis hepatibus profanissimis mortalium sese ingurgitantibus, partim quoque palpitantibus adhuc precordiis suillum pabulum inserentibus, ferocissimosq; porcos in hoc spectaculum immittentibus, ut simul cum hordeo carnes laniari & devorari viderent. Quis Caucasus, quæ India, quæ Hyrcania, tam immanes, tam sanguinarias Beluas unquam aluit? Corrè Ferarum omnium rabies usq; ad ventris furit satietatem, & fame sedatâ conquiescit. Sed illi bestias superabant plurimum, qui lucem vivis, terram mortuis denegabant: Quorum mandatis & manibus fundebatur

Ater ubiq; cruor, crudelis ubiq;

Luctus, ubiq; pavor, & plurima mortis imago:

Quorum feritas, rabies & insania ferreis quasi dentibus per totum orbem saeviebat, & non artus modo hominum dissipabat, sed ipsa etiam ossa comminabat, in cineres quoq; furens, ne ullus Sepultura extaret locus.

S. 29. Sedenimverò tot pœnis ac tormentis, tantâ, tamq; atroci sevitia, quid Tyranni, Imperatores, Reges, Principes, & reliqui Orbis Magnates, tantâ dominatione Mundum gerentes, contusis Barbarorum animis, bellicis victoriis clari & illustres, quid, inquam, contra Manualium Artificum, rudiumq; ac imperitorum Hominum, Christi nomine Sacerdotio fungentium, vim ac potentiam unquam obtinuerunt? Sanè duodecim Viri (56) nec auctoritate graves, nec conspicui opulentiâ, nec secularis eruditionis gloria suspiciendi, nec eloquentie laude celebres, sed infimæ prorsus sortis, humilissimæ fortune, quicquid est habitabilis Terra inter se dividunt, perq; hoc Universum, igneis veluti quadrigis moti, velocissimè volitant, & contra Imperatorum, Regum, Satraparum, Præsidentum, Sacerdotum, Jurisperitorum, Rhetorumq; ac Philosophorum potentiam, arrogantiam, fastum & superbiam, contra Tortorum, Exactorum, Tyrannorumq; crudelitatem ac sevitiam, non

c 3

ferro

(55) Nazianzen, Orat. 1. cont. Julian. (56) Augustin. l. 22. de C. D. c. 5. Origen. l. 1. cont. Celsum. Ambros. in Ep. 1. ad Cor. c. 1. Arnob. l. 1. Cassian. de Spirito, Superb. l. 12. c. 19. Nicol. Causinus Theo. Rhætores.



ferro gladiisq; succincti, non scuta moventes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, sed nudi, laceri, inermes, innocentia, amore, benevolentia, fideq; ac patientia constanter pugnant, nec desinunt prius, quam impiis & sceleratis veram Religionem, avarissimis, rerumq; terrenarum cupiditatibus oppressis, Paupertatem, omnibus deniq; libidinibus inquinatissimis Sanctitatem, Fidem, Virtutumq; caelestium Desiderium instillassent. Non scutica, flagella, caedes, ictus, non carceres, laquei, exilia, relegationes, non gladii, ignes, vulnera, vincula, cruciatus, non tenebrae, fames, barathra, cruces, catasta, incendia, non membrorum scissura, beliarum furores, dilacerationes bestiarum, aut reliqua exquisitissimorum tormentorum genera, quae sine horrore Ministri haud aspiciabant, adigere poterant illos, quo minus illud ipsum, cuius gratia tanta Supplicia adhibebantur, predicarent, profiterentur, suaderent, & ad ejus fidem Coelestis Spiritus efficacissima Oratione omnes adhortarentur.

§. 30. Unde fieri aliter non potuit, quam ut JESU CHRISTI Sanguine partus Orbis, cruore paucorum Discipulorum & Confessorum, Sanguinem Filii Dei predicantium, irrigatus, paucioribus quam quadraginta annis caelesti doctrina imbueretur, cum (57) & Romanos, & Scythas, & Aethiopes, & Sauromatas, & omne prorsus humanum genus sub jugam mitterent veritatis, profanos impiosq; gentium expellerent ritus, omnesq; cogere, ut traditas à Majoribus Leges, veteraq; rerum Monumenta, atque inolitam Consuetudinem, una cum patriis Institutionibus & contemnerent, & abrogarent. Jamq; (58) Persicae nationes, quae pridem Zaradae Legibus regebantur, matrum, sororum, filiarum connubiis susq; deq; commixtae, remq; justissimam esse arbitantes illud, quod erat facinus injustissimum, audita Piscatorum lege, veteres Zaradae Consuetudines, ut iniquitatem maximam concalcabant, Evangelicamq; temperantiam protinus amplectebantur. Quicquid prius mortuorum corpora canibus & volucribus discerpenda tradiderant, ubi in Christum credere inciperent, ab hujusmodi immanitate subito abhorrebant, terraq; mortuos suos mandabant, nihil Principum curantes Leges, quibus id fieri prohibebatur, neque tormentorum sevitiam timentes, cum Christi iudicium magis perhorrescerent. Atqui ut illi Romanis Legibus viverent, neque Augustus ipse impetravit, neque Trajanus, qui Persarum regna subvertit: Apostolorum tamen oracula, tanquam caelitus allata, praeconi venerabantur, Indigenaq; Advenarum & Externorum Hominum Legibus, Principes Subditorum, Domini Captivorum, Judices Accusatorum Statutis & Placitis vivebant.

(57) Chrysostom. hom. de Laudib. Pauli. Origen. l. 4. *dei dexar* c. 1. Nazianz. Orat. ad Nemes. Firmic. de err. prof. relig. Haimo. l. 3. c. 2. Aurelius Epitom. Annal. Baronl. p. 13. (58) Theodoret. serm. 9. de graec. affect. cur. Chrysostom. Homil. de Pentecost.



vivebant. Massageta verò, miserrimos homines arbitrati, qui alio mortis genere, quàm violentâ nece decumberent, quiq; idcirco Legem de mactandis Senibus, comedendisq; tulerunt, postquam Piscatorum Leges accepissent, abominabiles illas hostias & dapes detestabantur. Tibareni quoque, soliti olim Seniores ab altissimis rupibus dare precipites, Legem iniquissimam, Evangelicâ auditâ, abrogabant. Quin & Hircani, & ipsi etiam Cassij canes hominum cadaveribus devorandis non alebant amplius, neque Scythæ unâ cum mortuis hominibus vivos sub terram trucidabant, ut lumine illos vitaq; privarent. Ubicunque ires ad Indos, ad Mauros, ad Britannos, ad Hispanos, usque ad ultimum finem terrarum, inveniebas: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & DEUS erat Verbum! Nullus locus in terrâ erat, quem non Christi possideret nomen, quâ sol oritur, quâ occidit, quâ erigitur Septentrio, quâ vergit Auster, totum venerandi Numinis Majestas impleverat, cum pauci homines & terram, & maria, & orbem terrarum, & civitates, & omnes fines terræ, si non corpore, famâ tamen ac virtute peragrassent.

§. 31. Unde postea ipsi quoque Reges, qui impij erant, & Ecclesia persecutores, ad cœlum Pietatem preferebant, limenq; Ecclesia ingredienti, deponebant Coronam ac Diademata, Crucem verò Servatoris in frontibus pingebant, foris Arma, ibi Mystera, foris Scuta, ibi Sacramentorum Celebrationes adesse existimantes. Christiani omnia replebant, urbes, insulas, castella, deserta, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatia, senatum ac forum: Sola templa reliquis ad tempus relinquebant. Quanta hæc Deus bone! quàm stupenda planè & admirabilis Potentia, quâ (59) rusticani illi, illi imperiti, illi semissii & sarmentarii vetus illud Seculum, fugatamq; justitiam reduxerunt, ne humanum genus perpetuis erroribus agitaretur! Quâ Regum Sceptra, Purpuras, Diademata, quin & ipsa eorum Colla Crucifixi jugo submiserunt, quod prius ingenti machinatione excutere, omni studio ac labore erant conati! Quâ denique ipsas etiam (60) Inferorum Portas, Oraculorum Responso, Demonum Simulacra, Aras, Sacrificia, Delubra, quibus Orbis refertus fascinabatur, fortiter aggressi sunt, eadem in fumum & cineres redacturi. Atque hoc quidem tam foeliciter præstiterunt, ut ipse Apollo Virtutem ac Potentiam eorum agnoscere & profiteri fuerit coactus, cum gemebundus querulas istas ederet voces: Hei mihi! Tripodes congemi-

scite:

(59) Arnob. l. 1. & 2. Theodoret. cont. Græc. prolog. Theophil. ad Autolyc. l. 3. Tertullian. Apol. c. ult. Nazianz. Orat. 3. cont. Julian. Lactant. l. 5. c. 7. Crinitus l. 1. c. 13. (60) Chrysostom. hom. de laud. Pauli. Euseb. l. 5. c. 1. præpar. Evangelic. Justin. de Verit. R. C. Sozomen l. 5. c. 18. Nicepher. l. 1. c. 17. Suidas diction. Augustus. Plutarchus de defect. Oracul. Dubenus Catalogo Prodigijs circa Nativit. Christi. Nat. Comæ l. 6. c. 12. Haimo l. 5. c. 7. Polyd. Virgil. l. 5. c. 1. Lucan. l. 5.



scite: Abiit Apollo! Abiit! Quia flammeum me cogit Coeleste Lumen. Erat Jupiter, & nunc est, & erit, ô Magne Jupiter! Hei mihi! Oraculorum deficit me Claritas! Imò metuebant quoque Demones, de cœtero maximâ potestate pollentes, istos Orbis Domitores, & (61) ab iisdem Veri Dei Nomine adjurati, tremebant, exclamabant, & uri se, verberariq; testabantur, quin etiam non modo Demones se esse confitebantur, sed Nomina quoque sua edebant, illa ipsa, quæ in Templis adorabantur, & illud quidem plerumq; coram iis, qui cultu illos & veneratione prosequabantur.

§. 32. Ita tandem Ara Demonum, sabeo, thure, ac fertis honorata, ædesq; illæ, quæ Busta potius erant, quam Tempia, vel destructa, vel purificata, ut in illis neq; acerbarum mortium casus quotidiano victimarum Sanguine recrudescerent amplius, neque tristis lamentationis exitus, annuis luctibus renovatus, renasceretur, neque Hospites recentior flatus exagitaret ululatus, neque parricidia, vel incestus, vel mortes, ex Sacrorum ritu misera mens hominum, uti antea, & colere disceret, & facere! Exadversò Crucifixi & Resuscitati Jesu Spolia, Vexilla, Trophæa, Laurusq; ac Triumphi ubique erecti ostentabantur, quorum intuitu innumera Confessorum ac Martyrum Myriades, (62) carbones sicut lutum calcabant, mare & fluctus, velut prætum inuebantur, ad gladium tanquam ad purpuram, aut diadema currebant, imò pro delitiis habebant, objici feris ac bestiis, ardere liquato plumbo, projici in lebetem, in sartaginem poni, unguis deradi, fixo gutture in usum nocturni luminis accendi & aduri, stipitibus dimidijs assis alligari, ardere liquato plumbo, nunquam & multoties mori, mugire in tauris candentibus, torcularibus angustari, hastis transfigi, torreri in ferreis cratibus, unguibus divulsis, articulis incis, corporibus secatis, membris abscissis, & reliquis sevitia ac crudelitatis generibus diu torqueri, quia semper gloriosissimâ spe future felicitatis erectus Animus, acerbissimum Contemptor, cruciatuum Irrisor, omnium tormentorum Victor ac Triumphator ad Solem illum beatissimum in catastis, crucibus, rogis, incendiis, cœterisq; atrocissimis tormentis respiciebat. O fortitudinem omnibus humanis viribus majorem! O invictam patientiam, quæ pueros etiam ac mulierculas contra tortores suos animabat, ut hi lassarentur prius, quam vocem ex illis exprimerent.

§. 33. Eant Romulide, & (63) Mutio aliquo, aut Regulo glorientur, quorum

(61) Prudent. Apotheos. Jul. Firmic. de error. prof. rel. Lactant. l. 2. c. 15. l. 5. c. 21. (62) Tertullian. Apol. c. 12. Cyprian. l. 2. Ep. 6. & de laud. Martyrum. Chrysostom. Hom. in Juventin. Martyr. Ambros. l. 11. Ep. 7. l. 1. Offic. c. 41. Haimo l. 4. c. 4. 2c. Regius Oratore. Sacro p. 255. Theodoret. l. 8. & 9. de græc. affect. cur. (63) Augustin. de C. D. l. 3. c. 18. Nazianz. Orat. 1. cont. Jul. Cyprian. de vanit. idol. Tertullian. Apolog. c. 50. Eutrop. l. 2. rerum Roman. Livius l. 2. decad. 1. Florus l. 1. c. 10. Seneca Ep. 98. Controvers. l. 8. controv. 4. de Provid. c. 3. Val. Maxim. l. 2. c. 9.



quorum alter hostibus necandum se tradidit, quod captivum vivere puduit. Ab hostibus alter deprehensus, cum videret, mortem se vitare non posse, manum foco iniecit, illâ poena, veniam, quam non meruerat, impetraturus. Eant, & Empedocles, aut Anaxarchos extollant! Certè hîc superatam suorum vident Fortitudinem, cum etiam infirmus sexus, & fragilis etas se toto corpore dilacerari patiatur, non necessitate aliqua, quia vel pulveris in aërem jactu evitare licebat, si voluisset, sed liberrimâ voluntate. Inexpugnabilem namq; Fidem superare non poterat se viens diu plaga, quamvis ipsorum etiam viscerum ruptâ compage in Dei servis jam non membra, sed vulnera torquerentur. O quale illud Deo erat spectaculum, quàm sublime, quàm sacramento & devotione Cultorum suorum Dei oculis gratum & acceptum! Quàm ex sublimi illo spectaculo, venerenda quoq; & augusta Sacerdotii Majestas, vis ac potentia augetur, quippè qua contra tot tormenta, contra tantam, tamq; atrocem savitiam perpetuò caput foeliciter exseruit, non debilitata cadentium cladibus, ruinis, aut exequiis, neque imminuta morientium sanguine, cadibus, & cruore, sed potius ipsos hostes ac persecutores vincens, eos lignatoribus similes faciebat, qui sylvam cadunt quidem securibus; sed hâc tamen ruinâ propagines & surculos magis promovent! Quantò enim magis ejus impugnabatur Majestas ac Divinitas, tantò magis robur sumebat ac vires, ut mox Episcopos & canitie, & doctrinâ venerabiles, augustumq; illud priscorum Patrum Collegium pepererit, quin post eorum quoque tempora Divinae Veritatis Testes, Statores, Vindices, & Assertores semper excitaverit, qui isthoc victoriae habitu Orbem illustrarent, Diaboli potentiam ac furores domarent, & sacrum illud depositum, illum cœlestis Virtutis thesaurum ad presentia etiam nostra tempora, & insecuturam, si quâ speranda est, Posteritatem transmitterent.

§. 34. Et quomodo non Divinum illud ac venerabile Munus per innumeros sui Professores propagaretur foeliciter, cum Argumentum ejus adeò sublime, mirandum, & augustum, adeò ab omni mortalium rerum concretione remotum sit ac alienum, ut vel ignavissimos quosq; in sui admirationem trahere ac pellicere possit? Nèq; enim (64) Jovis, aut Apollinis, aut Aegeria Leges contemplantur Divinorum Mysteriorum Spectatores & Interpretes, quibus Ethnicorum præcipui suas ascribunt. Non ostendunt, ut Jupiter animos ponat, si Plautinus Amphitruo actus fuerit, aut pronuntiatus, vel si Europa, si Leda, si Ganymedes fuerint salutati: Ut mater magna tranquillior leniorq; efficiatur, si Athydis refricetur prisca fabula: Ut Venus offensam obliteret, si Adonis habitu gestum saltatoris motibus agi videat: Ut Alcida relanguescat indignatio, si Trachinia, aut Hercules appareant. Non

†                  d

64: Lactant. l. 1, c. 3. Arnob. l. 7. Plutarch. in Lycurg. his



hic matutina adsunt excitationes, quas Gentiles, collatis ad tibiam vocibus canebant, ut dormientes Dii ad vigiliis remearent: Non Domuitiones, quibus, bene ut valerent, auspiciabili salutatione mandabant: Non Lavationes, quibus Superi, adjuncta cineris frictione, a sordibus sese purgent: Non Jovis epula, qua inedia laborantem, anniversariaq; interseptione jejunum magnis dapibus impleant: Non Lectisternia, quibus pulvinorum tollebatur & excitabatur impressio, ut stratis mollioribus Superi incubare possent: Non reliqua vanitates & deliria, quibus Romani etiam Sacerdotes olim & tempus fallabant, & homines: Sed DEUS, (65) Qui terram fundavit, & extendit super eam normam: Qui conclusit ostia mare, & terminos posuit fluctibus eius: Qui fecit lumen & tenebras, ligatq; Plejadas, & solvit Orionem: Qui expandit caelos, tanquam tabernaculum, & aulas suas consternit in mediis aquis: Qui Primus est & Ultimus, Cujus thronus caelum, Cujus scabellum terra, ad Quem omnia Nihil: Qui solus est: Cujus Nomen: Sum, Qui sum, & Ero Qui Ero. Hunc verum, eternumq; & ex Se Sibi sufficientem DEUM vident instituentem voce sua hoc Universum, camporum immensitates diffundentem, collium erigentem altitudines, maria fundantem, caelum ipsum purissimis stellarum coetibus exornantem. Inprimis vero admirabilem illam, summoq; Consilio inchoatam Hominum contemplantur structuram, eorumq; in Institutione beatitudinem, in Lapsu miseriam, in Reparatione excellentiam & nobilitatem, qua Divina Nature participes in Dei Filios, & aeternae gloriae Hereditatem clementissime adoptati sunt.

§. 35. Exinde ad summa illa, & ab omni humana Ratione prorsus remota Mysteria sese vertentes in lucidissima illa Sacrosancta & Individua Trinitatis caligine Deum Unum in Tribus adorant, Patrem, Verbum, & Spiritum, unius ejusdemq; Essentiae & Immensitatis Dominum, Venerantur supplices incredibilem illam Amoris vim, qua de VERBO praecipue triumphavit, Illudque de summo caelo Tui causa, o generose Homo! traxit, & Infinitati Ejus finitam Hominis naturam copulavit, ut propitius ille ac salutaris fulgar, per atrocissimorum criminum tenebras plane obfuscatus, terris iterum illaberetur. O profundissimam Mysteriorum Caliginem! O Consiliorum summam obscuritatem, qua doctos cum rudibus, cum ignaris jungit! Enimvero finxit quidem fabulosa Antiquitas nescio quas ineptias de Deorum genealogiis, dum Pedaneos in caelum allegatos, Majorum vero Gentium Deos modo Ferarum, modo Hominum formas assumpsisse contendit: Illas tamen prudentiores nec crediderunt unquam, nec imponi sibi passim. Namq; divinus (66) Plato, DEUM Homini non commisceri: Et qui, si non prior, certe tamen proximus ab eo sapientia est, (67) Seneca, Mortale Caelo non posse jungi Genus, asserit.

(65) vide Scripturas passim. (66) in Symposio, (67) in Heracl, furent.



rit. Imò (68) aliis hoc præcipuum Divina Sublimitatis specimen esse cen-  
 set, quod nullâ Hominum oblectatione misceatur, nec humani corporis, aut  
 formæ usu delectetur. Sacri tamen Oratores faustum illud Opus, illud Men-  
 te nostrâ majus, majus omni tempore Negotium, quod aliàs nullâ ævi memo-  
 riâ factum, nec, ut accidere possit, Natura rerum ferre videbatur, assiduè  
 contemplantur, ubi pio stupore repleti, annunciant, ut DEUS Hominum  
 gratiâ, ex immaculatâ Virgine Homo natus, in præsepi animalium ponatur,  
 exporrectâque velut manu asserat: Nihil esse amplius, quò se Adversario-  
 rum & Inimicorum gratiâ demittat. Ut tanquam Cæli Terræque Conditor  
 prono ad terram vultu, flexis genibus, humili corde adoretur religiosè, quò  
 in agresti & desertâ domunculâ, frigide tempestati & ventorum flatibus u-  
 biquè perviâ, fasciis involutus Matris ubera molliter appetit: Ut Exul in  
 ultimas barbare gentis oras fugiat, sine lare ac hospite, Qui omnibus Crea-  
 turis suas sedes, sua domicilia largitur: Ut sub Parentum manu adolescat,  
 miseriarum mole perpetuò pressus, Qui in stellis sidereisque sedibus à purissimo  
 illo Angelorum Mentiumque Beatarum coetu gloriosus habetur & admiran-  
 dus: Ut in acerbissimâ Passione pœnæ omnes, tam quæ in presenti vitâ to-  
 lerari à quoquam possunt, quàm illa, quæ in æterni squaloris incendio, in-  
 tra ululatus, dentiumque stridores incredulos sine ullâ intermissione torque-  
 bunt, Eum circumveniant, Cujus labia justitiam semper prædicaverunt,  
 Quiq; totus integer, immaculatus, & à sordibus peccatorum planè alienus e-  
 rat: Ut vincens funibus, vestibis orbatus, flagellis cæsus, cruore madens,  
 spinis coronatus, sputo maculatus, ad infamen scelestorum pœnis locum ra-  
 piatur, dirissimog; Crucis supplicio affectus, in Angelorum Hominumque o-  
 culis, intra cælum & terram mortuus & exanimis pendeat, Qui universam  
 Mundi compaginem spiritu suo sustentat ac fovet, suisq; sempiternam vitam,  
 illam omnium Donorum Perfectionem, largissimè tribuit: Ut redeat deniq;  
 Augustissimus Pacator, ac Soter Fidelissimus, & (69) non Reges, Populos, Tigrides,  
 aut Camelopardos, non urbium, oppidorum, montium, fluminum, naviumq; simulacra  
 & species, non servorum, aut vectigalium, aut domitarum gentium, aut percusso-  
 rum hostium series, aut pægmata, in tertium quartumq; prostratorumq; nidum,  
 velut exsertis ramis surgentia, non fusorum exercituum, turbatorum mo-  
 niorum, aut incensarum adium figuras, non militaria arma, catapultas,  
 gladios, balistas, falcatos currus, clypeos, lanceas, secures, scuta, thora-

d 2

ees,

(68) Apulejus de Deo Socrat. Plutarch. in vit. Numæ. August. de C. D.  
 l. 9. c. 16. (69) Joseph. de Bello Jud. l. 7. c. 14. Val. Max. l. 2. c. 8. Zo-  
 naras tom. 2. Annal. Valturius de re milit. l. 12. Turnebus Adversar. l. 22. c.  
 11. Isidorus l. 18. Etymol. c. 2. Halicarnass. l. 2. & 5. Sueton. in Nerone. Flo-  
 rus l. 2. c. 2. Rosin. l. 10. c. 19. Dempsterus in Additament. p. 1682, Cæcilius l. 24  
 c. 5. Alexand. ab Alexand. l. 6. c. 6.



ces, galeas & brachialia, quibus homines precipuè gloriati sunt, sed ipsius Mundi Potestates ac Principatus, nulla creata vi opprimendos, in Triumpho gloriosissimo adducat, eorumque victoria & spoliis ornatus, ad illuminatas illas sedes, & ipsam Optimi Maximique Patris Dexteram tollatur, & cum Eodem omnia potentissimè regnet, moderetur, & gubernet.

§. 36. Sed & relicta ardentissimi Amoris Indicia, admirabili Sacramentorum Sigillo inclusa, & colunt humillimè, & purissimis manibus tractant: Efficacissimum Baptismi lavacrum, quod venerandi Spiritus Majestate ignitum veteres Conscientiæ cicatrices lenit, hominesq; Deo & reddit, & commendat: Cujus vi ac potentia cum Supremo omnium Domino sanctum & inviolabile Fœdus ineunt mortales, & ab Illo in dilectissimos filios adoptati, contra inferorum machinationes felicissimè pugnant. Tum verò & admirandum Cœnæ opus, illud Amoris trophæum & ad Deum vehiculum, illam Mentis perfectionem, infirmitatisque nostræ adjuvamentum, & flagrantissimi Desiderii indicium, quod Amicis suis Supremus Architriclinus, ex hac mortalitate ad superas illas ades mox reversurus, tantò magnificentius reliquit, quanto ardentius illos & dilexerat, & adhuc diligit: Sanguinem scilicet suum, & Corpus, totumq; illud, quod possidebat Ipse, cujus usurpatione fideles Ipsi Deo arctissimè agglutinantur: Cujus vi libidinum fomites in ipsis retunduntur, ipsi verò demonis sagittas infringunt, & arma ejus in spumam quasi resolvunt. O rem incredibilem & admirandam! O salutarem suavissimamque ac fructuosissimam escam, quæ salutem largitur & vitam, quæ relevat languentes, errantes revocat, erigit lapsos, putres artus, & torpescientia membra vivificat, aeternaque immortalitatis etiam morituris largitur insignia! Sane si huic Epulo, huic omnium donorum Compendio sumptuosissimas Magnatum mensas, aut (70) pretiosissimos Regum thesauros, gemmas, mansolea, colossos, & quicquid admiratione ac stupore dignum humana mens & excogitavit, & effecit, paucis conferas, mera nuga, mera vanitates, mera ludibria, umbrarumque marcescentium inania spectacula erunt.

§. 37. Habent præterea Virtutum omnium Normam perfectissimam: Legem, quæ non ad cuticulam, ad callum retunditur, sed ipsa præcordia penetrat, & Cordis Sacrificium, Mentis jejunium, Animam contritam & humiliatam postulat: Quæ non carnem, sed voluptuosas cupiditates circumcidi, non ab omni negotio, sed à profano & illicito feriari, non Primitias, aut Sacrificia, aut pecudum Sanguinem, aut totum Mundum, sed Religionem, Sanctitatem, Innocentiam, eamque omnibus numeris absolutam & perfectam.

(70) Adi Sueton. in Julio c. 50. Lamprid. in vitâ Alexand. Severi, Pancirolli memorabilia. Chassanxi Catalog. Glor. Mandi. Onuphrii, Fabricii, Blondii Romam. Cehelli Notit. Gardinalat. Pflaumer. Mercur. Italic, &c.



fectam Deo offerre jubet. Ac cum nemo Mortalium sit, qui ad istam Obligationem Cogitata, Dicta, & Facta sedulo exigens, non ultrò statim fateatur, se usque adeò illam non implevisse, ut potius livore, simulatibus, maledicentia, evanidis cogitationibus, fallacibus verbis, iniquis actionibus transgressus eam fuerit, in Divinam Majestatem maximè injurius, codicillos veniales omnibus quoque monstrant, in quibus Ipse DEUS, Homo factus, Fidejussorem Se nobis exhibet, & nostro nomine Debita soluturum pollicetur, ut & obligationi justitieque Divine satisfiat, & extrema Imbecillitati nostræ subveniatur. Quin & præstò sacris Oratoribus sunt Vaticinia, quorumvis (71) Oraculorum ludicris & fallacibus imposturis certiora: Triumphales cantus, Deo exercituum dicti & consecrati: Nuptiales acclamationes, Dei & Piorum castissimos amplexus celebrantes: Amores, Ipso omnium rerum Domino flagrantis: Bucolica Jehovah ipso Pastore, Grege verò Ecclesiâ: Ut paucis comprehendamus, quæ Latisimam dicendi Materiam præbere poterant, non desunt illis Theatra Miraculis, Mysteriis, Operibusque Divinis refertissima, in quibus semper Personæ adsunt, cum quibus agant, semper Res, quas Orbi annuncient & manifestent,

§. 38. Hæc palestra, hoc stadium est, in quo Mysteriorum Divinorum Dispensatores quotidie se exercent, ut summis istis Mysteriis mollitas & subactas Hominum mentes imbuant, eorumque salutari cognitione ac fiducia ad Deum, Beatitudinis suæ Authorem ac Principem, iterum ducant. Absque hæc Sacerdotum opera sacratissima si fuerit, neque veram Misericordiæ suæ cognitionem, neque rationem & mediâ, ex eadem eluctandi, haberent Mortales, sed sine Veri Numinis agnitione, cultu, ac timore, sine spe fiduciaque future Hereditatis vitam hinc transigerent miserrimè, & deinceps æterno exitio adjudicarentur. DEUM enim esse, discere quidem possumus, sive Nosmetipsos ingrediamur, sive Extra nos vertamus cogitationes. Sed DEUM illum in Tribus esse colendum, in Patre, Ejusdemque vivâ Effigie, Verbo, Sapientia, Filio, tum verò & in Illa ab Utroque procedente Amoris Divini Flamma, hoc mentem caliginosam subire potuisset nunquam, nisi Ipse DEUS per Verbum & Sacros Oratores Orbi manifestasset. Rursus Beatitudinem nostram in (72) Reditu ad Deum, in Conjunctione cum Suprema Mente consistere, etiam Ethnicorum prisca Sapientes ex Rationis lumine agnoverunt. Rationem verò & Mediâ veniendi ad Deum usque adeò invenire non potuerunt, ut potius per vanas & ambiguas preces, per sacrificia,

(71) Nicephor. Gregoras histor. Rom. l. 5. c. ult. Zosimus l. 1. Porph. de respons. & Orac. Lucanus l. 1. 5. & 6. Polyd. Virgil. l. 5. e. 8. Cicero l. 2. de divinat. Val. Flacc. l. 1. Argonautic. Claudian. l. 2. in Ruffin. Seneca in Oedipo Act. 2. scen. 1. Virgil. l. 6. Æneid. (72) Plato in Phædone. Aristotel. l. de Mundo & l. 1. de Cælo, Plotin. Enn. 6. l. 9. c. 9. 10. Porphy. de Abstin. l. 1. c. 2.



cia, lavacra, lustrationes, piacula, ludos, circos, theatra & stadia, per certamina innumera, gladio, hasta, calce, pugno facta, ad ipsorum inferorum marginem deduxerint miserrimos mortales. Nam in cuius phantasiam venire potuisset unquam, per DEUM ad DEUM veniendum? Per DEUM, inquam, Hominem factum, ac crimina nostra placantem, & illud quidem in Crucis patibulo? Hoc certè præter DEUM dicere nemo potuit, nemo præter illos, quos suo replevit Spiritu, quos sua duxit manu, Ministros.

§. 39. Jam Hominis Naturam maximis sordibus, ingenti æruginè obrutam esse & obductam, sive ad Deum, sive ad Mundum, sive ad Proximum respicientes, sive deniquè in Nosmetipsos ingressi, tantum non manibus palpamus. Quotusquisque enim est, qui ad Conditorem, Ejusque Beneficia respiciens, non tacitus agnoscat, omnem sensum ac vitam, omnem actionem & meditationem nostram Deo, Ejusque Gloriæ deberi? Sed & quotusquisque est, qui præstet agnita? Qui omnes gressus ad Deum dirigat, de illo per omne tempus meditetur? Qui non potius ad proprium Lucrum, ad propriam Gloriam respiciat, & tametsi in Precibus Deo unice se commendare studeat, non in illo ipso ardore, in illà attentione frigeat, vanisque Cogitationibus ad terrena abripiatur? Mundum Homini dono dedit Deus, ut illi, tanquam Rex & Dominus, imperaret. Sed quotusquisque est, qui non auro, argento, aut æri, non agris, aratris & bobus ultrò serviat, & si quid Mente, si quid Intellectu valet, id omne his sordibus non addicat, & ita Mancipii fiat Mancipium? Proximus, ejusdem nature consors, licet graviter sæpius offendatur, quotusquisque est, qui ejus causam agat, nisi vel amicus, vel frater, vel propinquus, vel alius sit, à quo lucrum prestolari queat? Et quotusquisque vel leviter saltem offendentem, non comprehendit, vel animo, vel gladio injuriam vindicaturus? Ex tantà sevitia, ex tam immani & barbarà Crudelitate quis Nature sue corruptionem non agnoscat & confiteatur? Præsertim si ad Seipsum regressus, & Corporis morbos, & Animi impuros ac inordinatos motus, & Oris vanitates, calumnias, obrectationes assiduè secum fuerit contemplatus? Sed Morbum scimus: Quis Remedia contra illum, ne impurus hic fomes in flammam excrescat, sed vel tegatur, vel planè suppressatur? Quis illa aut invenire potuit, aut manifestare, præter Deum, & quos Ipse misit Legatos? Hi salutaria illa Remedia hominibus & annunciant, & applicant, quorum vi Corruptio illa si non tollitur planè minuitur tamen, ut pro lubitu grassari amplius nequeat.

§. 40. Quare (73) si non potest quisquam in Regnum Cœlorum ingredi, nisi per Aquam & Spiritum regeneratus fuerit: Et qui non

(73) Chrysostr. l. 3. de Sacerdot.



manducat Carnem Domini, & Sanguinem Ejus non bibit, aeterna vita privatur. Omnia autem illa haud aliter, quam per sacrosanctas illas Manus perficiuntur, manus inquam Sacerdotum, quomodo fiet, ut extra illorum opem aut gehennae ignem vitare quis possit, aut reposita in caelo coronae premia assequi? Hi enim sunt, hi sunt, inquam, quibus tum concredita sunt spirituales parturigines, tum etiam Baptismatis partus à DEO est commissus, per quem CHRISTUM induimus, unà cum Dei Filio sepelimur, & beatae illius carnis membra efficiamur. Nam licet dubium non sit, quin per infinitam suam Potentiam Deus absque illis ex caeca Ignorantia tenebris ad veram Lucem, & perpetuò duraturae Beatitudinis Gloriam Homines ducere queat; Nihilominus quia inexhausta Ipsius Sapientiae placuit, per stultam Predicationem salvos facere credentes, hinc adeò necessaria eorum opera est, ut illa sublata, ipsa etiam salvifica Fides, vera Invocatio, & Spes potiùde aeternae Salutis planè tollatur. Atque hoc nomine Maximus rerum Conditor improbis, & quarumvis libidinum flagitiorumque mole sarcinatis Sacerdotum penuriam gravissima oratione minatur ubi, (74) Obstupefcite, inquit, & admiramini! Fluctuate & vacillate! Inebriamini, & non à vino! Movemini, & non ab ebrietate! Sed ad quid tantus Stupor, tanta Admiratio & Fluctuatio? Quoniam miscuit vobis Dominus Spiritum soporis, Claudet oculos vestros, Prophetas & Principes vestros, qui vident visiones, operist! Et erit vobis Visio omnium sicut verba libri signati, quem, cum dederint scienti literas, & dicent: Lege istum, & respondebit: Non possum: Signatus est enim. Et dabitur liber nescienti literas, diceturque ei: Lege, & respondebit: Nescio literas. Et dixit Dominus: Eò quod appropinquat Populus iste Ore suo, & Labiis suis glorificat Me: Cor autem ejus longè est à Me, & timentur Me mandatis ac doctrinis Hominum, ideò ecce! ego addam, & admirationem faciam miraculo grandi & stupendo. Peribit enim Sapientia Sapientibus ejus, & intelligentia Prudentium abscondetur. Isthaec tanti Stuporis, tanta Admiratio & Fluctuationis causa est, ad quam meritò obstupescere, fluctuareque ac vacillarere fractariam Gentem voluit Dominus, cum ex illa, tanquam ex fonte & scaturigine, quarumvis scelerum ac flagitiorum flumina prono impetu ruant.

§. 41. Ex adversò ubi fidos internuncios mittit Deus, qui temporalium aeternarumque poenarum terrore evellant, destruant, disperdant & dissipent criminum delictorumque sedes, & illis dirutis, Justitiae, Integritatis, Innocentiae, & quarumvis Virtutum domicilia pollicitationibus suavissimis aedificent, non possunt non florere Mortalium res, ut non abs re (75) speciosi Predicatorum pedes dicantur, eò, quod Pacem, & cum illa non  
caduca



caduca solum, temporumque vicissitudinibus obnoxia, sed aeterna, & inconcussa, & sine ullo fine duratura Bona ad sempiternam animarum salutem annunciant & manifestent. Horum expectatione ac desiderio inferioribus obsequium, justitiam Praesidibus, divitibus misericordiam, patientiam pauperibus, conjugibus castimoniam, integritatem virginibus suadent: Omnibus denique ab errore ad veritatem, à vitiis ad virtutem, ab infidelitate ad fiduciam revocatis, viam vitae, scalam salutis, januam paradisi monstrant, quibus tritis, agnitis, & apprehensis, in ipsum Divinae Majestatis Sacrarium foelicissime admittantur. Hæc certè ratione tantò Meliora ac Diviniora Bona nobis largiuntur Sacerdotes, etiam præ Parentibus, quantò aeterna caducis his & terrenis præstant. (76) Nam illi nos ex carnis & sanguinis voluptate genuerunt quidem, ut Vitam illis Spiritumque debeamus. Sed hi deum sanctæ illius Generationis authores nobis sunt, quæ ad veram, ad sempiternam libertatem, ad adoptionem Filiorum Ipsius DEI reformamur. Rursus illi nec morbos, nec corporalem mortem propulsare possunt, imò nec currenti obsistere infirmitati. Hi verò laborantem quoque animam, & jam jam æternam perituram salvant frequentèr, idque non solum docendo & monendo, sed etiam orationibus adjuvando. Quin & Parentes naturales Filiorum causam agere verentur, si aliquas sublimes hujus seculi Potestates offenderint. Sacerdotes autem non solum Potentes & Reges, sed Ipsum DEUM, Ipsum Regum Regem, Dominantiumque Dominum frequentissime iratum opera sua nobis conciliant. Tantam vim ac potestatem Legatis suis Suprema Mens concessit, quam si exserant legitime, eademque alliciant mentes, voluntates impellant, concitent, inflamment, pungant, acuant, & sanent, atque adeò ex Bonis fletum & lachrymas eliciant, Malis verò formidinem, terrorem, ac metum gehennæ incutiant, jure meritoque Dei Instrumenta, Organa, Servi, Operarii, Ministri, Angeli, Uncti, Tubicines, Venti, ac Testes, Hominum verò Piscatores, Lumina, Salvatores, Architecti, Pastores, Doctores, Praesides, Præpositi, Episcopi, imò & Patres, & Parentes salutantur.

§. 42. Idque tantò potiori jure, quantò magis Supernaturalis ille ac Divinus planè Finis, quem in exercendo Munere Sacratissimo unice propositum sibi habent, ejus Majestatem auget, omnesque humanas ac caducas res longissimo intervallo post se relinquit. Neque enim hujus Orbis Magnates, fortissimos Belli Duces, Pacisve gloriosos Moderatores Panegyricis jactationibus celebrant, immortalitatem illis conciliaturi: Non lucrosam exercent Disciplinam, rationem prædia, fundos, vel divitias acquirendi monstrantes: Non proprium honorem, famam, & nomen in isthac querunt

Morta-

(76) Ghrylostom. de Sacerd. l. 3, c. 6.



Mortalitate, sed Actiones suas dirigunt, certè dirigere debent, ad augmentum Divinae Gloriae, & aeternam Hominum Salutem & Felicitatem. Quanta verò hæc Sublimitas est, in Opere, Deo maximè proprio, versari, & per Majestatis Cœlestis dilatationem ad Supremam illam Mentem proximè accedere? Namq̄ huc unice omnium rerum productione & structura sapientissimâ respexit Maximus Conditor, huc omnes Actiones, quas sine intermissione potentiâ suâ molitur, dirigit, ut adaugeat Gloriam suam, eamq̄ & firmiter annunciet, & cœli enarrent, & omnes etiam inanimata res, pro concessa sibi facultate, magnifaciant ac prædicent.

§. 43. Tam angustum, tam sublimem & super omnes mundanas res constitutum Finem Eius quoque Legati præcipuè propositum sibi habent, quippe qui Dei essentiam, immensasq̄ Virtutes ac Perfectiones, cum benevolentissimâ erga morigeros Voluntate, tum verò & Servatoris Optimi Beneficia, Sanctiq̄ Spiritus Robur, in gratiosissimam Peccatorum remissionem, & aeternæ Hereditatis pignus Orbi manifestant, ut salutari ista cognitione imbuti Mortales ad debitum Supremi Numinis cultum invitentur. Et hæc ratione non Ipsius Dei honorem tantum, sed & sempiternam Hominum Salutem promovent, quam velut alteram Finis sui partem subindè respiciunt, eoq̄ nomine Pacem & Concordiam inter maximè dissitos, Deum & Homines, imò & inter maximè conjunctos, Hominem & propriam Conscientiam procurare, & veluti quidam Mediatores adesse conantur, si scissura aliqua inter Partes aut facta est, aut adhuc gliscit. Huic mederi, & DEO Homines, Homines sibimetipsis reddere student, ut, consopitis ac refrænatis hujus Mundi cupiditatibus, pacatè & tranquille ipsis vitam transigere liceat, in fide, charitate, & spe future Beatitudinis; quæ summa ac perfectissima in hoc orbe Felicitas est. Quorum verò Mentibus hanc instillaverint, eos ex teterrimi draconis faucibus, ex flammis fulgurantibus, ex stagnis, igne ac sulphure flagrantibus, ereptos, ad aeternæ Glorie pascua transmittunt, ubi pace, tranquillitate, luce, gaudiq̄ ac letitiâ ineffabili saturati, Virtutis præmium, Eum Ipsum, qui Virtutem dedit, nanciscentur.

§. 44. Hic qualem aureolam, qualem mercedem illis consecratam esse existimatis, Domini & Auditores! qui tantam felicitatem & procurant, & promovent? Qui ad novos illos Cœlos, Vultumq̄ omnium rerum pulcherrimum, ad æternum illud Justitiæ Habitaculum, aulaq̄ gemmis intermicantibus expolitas, ad Lucem illam septuplò illustriorem, & puniceo semper radiantem Splendore, ad Beatitudinem, ineffabilibus Bonis divitem, ad letam Perennitatem, ad opum cœlestium Copiam, deliciarumq̄ perpetuam Possessionem, imò ad communem cum Ipso DEO Vitam, ex hoc percunni supplicio & carcere Homines ducunt? Quale Lucrum, quale Præmium



hos Salutis Custodes, hos Fidei Procuratores, Vitaq; & Immortalitatis Du-  
 ces manere arbitramini? Sanè in isthac Mortalitate admiranda, totiusq; stu-  
 poris plena vi ac potestate pollere eos voluit Summa DEI Benignitas, cum  
 illis non corporis lepram, non morbos, mortis nuncios, sed quavis le-  
 pra, quibusvis morbis & agritudinibus majorem immunditiam & dolorem,  
 à gravissimo peccatorum pondere ortum, Verbi Virtute & efficacia tollere con-  
 cessit. *Quanam, obsecro, Potestas, quanam Dignitas hac una major esse  
 possit? Qui terram incolunt, qui carne & sanguine constant, iisque sunt in-  
 voluti, his ipsis commissa sunt, illa, quae in caelis existunt, dispensare, &  
 beate atque immortalis illius Naturae suos reddere participes. Talis certe Po-  
 testas nulli unquam Creaturae, ne Angelis quidem, aut Archangelis à Deo  
 concessa est, cum ad illos nunquam dictum sit: Quaecunq; alligaveritis in  
 terra, etiam in Caelo soluta erunt! Habent quidem & terrestres Principes  
 vinculi potestatem; Sed corporum tantum: Illud autem, quod dico, Sacer-  
 dotum vinculum, ipsam etiam Animam contingit, & ad Caelos usq; per-  
 vadit, adeò, ut quaecunq; infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem su-  
 pernè DEUS rata habeat, ac Servorum Sententiam Dominus Ipse lubentissi-  
 mè confirmet.*

§. 45. Itaque mirentur alii ac stupeant, ad unicum Mosis bacu-  
 lum jam sanguinarios fluxisse torrentes, jam spumantia maria resiliisse, jam  
 in sinum revoluta fluctibus obruisse hostes, jam ex petra largissimos aquarum  
 protuberasse meatus: Mirentur ac stupeant, ad unicam Heliae vocem de cœ-  
 lo lapsum ignem jam victimas accendisse, jam milites consumpsisse, jam cœ-  
 lum terrae denegasse pluvias, jam eidem largos reddidisse imbres: Nos à Deo  
 Sacerdotibus traditam veneramus Potestatem, qua modo peccatorum pelagus  
 subito tollunt, modo criminum insanas retinent moles, modo ex cordibus, sa-  
 xo & silice durioribus, lachrymarum copiosum eliciunt imbrem, perennesque  
 divinae gratiae rivus in illa iterum deducunt: Qua parant simul ac tuentur  
 Amicitias, Provincias complectuntur, alliciunt ad Beatitudinem omnium  
 gentium Animos: Qua praesidium amicis, salutem periclitantibus, indigen-  
 tibus opem conciliant, improbos verò & refractarios, necessaria simulatione  
 scelera tegentes, non minus in sui obsequium tenent: Qua denique Capti-  
 vorum aperiuunt carceres, Mortis & gehenna repagula solvunt, Diabolum,  
 cruorem nostrum perpetuò sitientem, pedibus calcant, sempiterni ignis calo-  
 rem & flammam extinguunt, ad ultimum, ipsius Caeli fores referant, &  
 Mortales in angustissimum illud Dei Vivi, Dei Omnipotentis Sacrarium  
 ducunt. O Summe, ô Maxime rerum Moderator! O Ipse Invisè, &  
 nullis unquam comprehensè Naturis! Nimis certè, nimis honorasti Servu-  
 los tuos: Illos ex pulvere, ex luto concretos homunculos, illos carni & san-  
 guini



guini adhuc colligatos mortales, cum beata illius & simplicis Natura adeò vicinos, adeò similes & consortos eos esse voluisti!

§. 46. Quin neq; his terminis circumscribi se passa est Tua Benignitas, tantò magis in futurum hanc Antistitum Potentiam & Majestatem auctura, quantò angustius instans Tribunal, quantò sublimior illa, quam speramus, erit Vita. Vellem, Domini & Auditores! concipere nos Animo & Mente posse, horribilem illam & tremendam hujus Universi faciem, ubi revoluto cælo cum Angelicis Virtutibus Severissimus Judex, flammis circumdatus, adveniet: Ubi cadentibus desuper stellis purissima illa Solis faces atrâ fuligine in Tenebras, & Lune splendores in Sanguinem mutabuntur: Ubi montes liquefcent, terra ardebit, flumina exarescent, maria siccabuntur, & contra rerum Naturam, consumpto Divinitus humore, ariditatem in aquis calor operabitur: Ubi superbissima Palatiorum structura, mausolea, colossi, ipsos montes, ipsum fermè Cælum in certamen vocantes, inter pulveris quicquillas consumentur: Ubi tubarum sonitus, bombi, clangores, tot gladio interemptos, tot ferarum dentibus dilaniatos, tot igne ac flammis consumptos, tot aquis & mari absorptos, tot morbis exagitatos & vexatos excitabunt, totq; cadavera, pertextis ossium commissuris, ex sepulchris, ex monumentorum capsis egredientur, ut antea vite rationem reddant. Qualem hunc Confessum, quale hoc Theatrum futurum esse existimatis, cum inter tot omnium Creaturarum discrimina, Vitiatorum Expulsores, Divinarumq; Rerum Interpretes, radiatis splendore capitibus, læti & alacres sedebunt, de concreditis sibi aut Rationem reddituri, aut Sententiam laturi? Cum improbos & sceleratos tot Testibus convincent, tot Argumentis confundent, quot iustis Actionibus ad vite Integritatem illos hortati sunt, quot benè vivendi ipsis præbuerunt Exempla? Cum ad (77) tremendam illam, & horribilem, & fulminatricem Sententiam, quam in hac vitâ toties iterarunt, innumere hominum myriades (Tu verò, ô Optima Cæli Pietas! da, concede, ne quisquam nostrum inter illas!) in immensurabile illud Ignis bullientis & inextinguibilis mare trementes & ululantes trucidabuntur, ut inter intolerabiles fœtores, fumosq; teterrimos, inter palpabiles umbras, inter vincula, & carceres, & confusionem, & rancorem, inter percutientes malleos, & horribiles ipsorum demonum facies torqueantur, & eternum torqueantur! O funestissimam & plusquam terribilem rerum faciem!

§. 47. Exadversò autem qualis erit illa Letitia, quale Gaudium, cum radiantia Fidelium Lumina à facie ad faciem Illum intuebuntur, Quem Salutis suæ Custodes in hac caducâ mortalitate illis annunciarunt? Bone DEUS! Quales hinc plausus, voluptates, salutantiumq; occurfus! Quam fa-



ste & late Acclamations, ubi purissima ille Anima, extinctis ac superatis  
 precaria hujus vite laboribus, Magistris & Antistitibus suis, in tanto, tam-  
 que numerofo Angelorum & Beatarum Mentium concursu, Felicitatem,  
 Salutem, Incolumitatem suam publicè tribuent, & pro monstrata eterne Bea-  
 titudinis via gratias referent & agent? Quales hic vultus, flores, lumina,  
 apparatus, colloquia & complexus, cum tot caelestium Ordinum Myriades,  
 tot Potestates ac Principatus, ac Throni, illis Populi Luminibus, illis Vir-  
 tutum Indagatoribus, illis Animarum Pronubis & Mystagogis uno ore, voce  
 consona gratulabuntur prolixè, quod eos dignatus sit Dominus, augere be-  
 atam illam Sodalitatem, cui nihil quicquam consummatisimè deest Felicitatis?  
 Qualis denique hac Majestas erit ac Gloria, quantus, quamque im-  
 mensus Honor, ubi Predicatores in Augustissimà illà Divinitatis Regià, &  
 gloriosissimo totius Curie Caelestis Confessio, Ipsum Optimum Maximumque  
 Servatorem, Ipsum Supremum omnium Creaturarum Dominum, Confesso-  
 rem & Predicatorem Operum suorum nanciscentur? (78) Qui enim,  
 inquit, confitebitur Me coram hominibus, illum confitebor & Ego coram  
 Patre meo, Qui in caelis est. Poteratne hoc uno Honore aliquis major cense-  
 ri? Illos hoc in Orbe sepius huc illuc jaçtatos & vexatos, illos delusos,  
 & nonnunquam à triobolaribus etiam Mendicis exagitados, illos tot suppli-  
 ciorum generibus consumptos, Deum habere Confessorem, Deum Predicato-  
 rem, imò & Deum Remuneratorem, Qui pro praestitià fideli operà suavis-  
 simà hac voce eorum quemlibet compellabit: (79) Enge Bone Serve! In  
 paucis fuisti fidelis: Jam pluribus Te praeficiam! Intra in gaudium, in le-  
 titiam Domini tui!

§. 48. Hic tandem quàm splendida Merces, quàm sublimis Re-  
 muneratio illis expectanda! Si enim maximum premium eos manet, qui  
 vel unicà saltem aquae guttulà Proximi sublevârunt egestatem; qualem mer-  
 cedem, quale premium illi demùm consequentur, qui tot mensibus, tot an-  
 nis numerosissimo Hominum coetui, non aquam tantum, perituris corpo-  
 ribus proficiam, sed ipsis etiam Animabus spiritualem Alimoniam, Vita pa-  
 bulum, eterneque Salutis poculum largissimè subministrârunt? Rursus, si  
 Martyribus, illis Mundi tortorumque victoribus, propter summam constan-  
 tiam excellens consecrata est Aureola; qualem illi tandem accipient, qui con-  
 stantiae illius Authores & Promotores fuerunt? Qui non tantum contra  
 Mundum & sceleratos Homines, sed & contra ipsius Mundi Potestates ac  
 Principatus, contra spiritualia nequitiae in caelestibus, contra fortissimum  
 illum Behemoth, & igneum Draconem, nil, nisi fulgura & flammam spi-  
 rantem, maximà animositate, ingenti periculo pugnârunt, ut ex ejus fau-  
 cibis

(78) Matth. X. 32, Luc. IX. 26; (79) Matth. XXV. 41.



cibus & se, & sibi concreditos eriperent? Hanc augustissimam Sacerdotum Aureolam aliquâ saltem ratione nobis delineaturus (80) Propheta, Divino Spiritu repletus, inquit: Docti fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & qui ad Justitiam erudiunt plurimos, quasi stelle in perpetuas æternitates! (81) Quin & ipse Servator: Qui fecerit, ait, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Qualis, me Christe! hæc erit Sublimitas, in Cælis magnum esse, in quibus non nisi cum Summis, cum Maximis Rebus. potest esse Comparatio, quia nihil humile, nihil sordidum, aut impurum admittunt? Qualis hic splendor, in clarissimâ illâ Luce, in illo Ipsius Dei Majestate repleto Palatio, eum locum habere, quem apud nos stelle noctu obtinent?

§. 49. Sed plena tamen ac perfecta illius Sublimitatis & Aureole cognitio nobis differenda est, usquedum hujus perituri Corporis squalore exuti, liberi ac vicini Deo, Creatori & Conditori nostro reddamur. Interim Tibi, Æterne DEUS! si non eâ, qua par erat, ea tamen, qua possumus, Humilitate ac Devotione gratias agimus pro immensis istis Beneficiis, quibus toties TIBI nos dudum obstrinxisti, & imposterum devincies! DOMINE! Quod ad summum honoris fastigium per Imaginis Tue splendorem conditi primùm; mox ab eo in funestissima illa ac luctuosissima omnium die resilientes, per Poprii & Unigeniti Filii promissionem ad amissam Beatitudinem reformati sumus, Tue Clementiæ Munus est! Quod ex terta illa Mentis caligine, ex stupenda illa & horribili Ignorantia ac cæcitatæ nocte, in quam propria malitia nos dederamus præcipites, per Verbi Tui faces ad æternam Lucem illuminati sumus, Tue Misericordiæ Opus est, DOMINE! Quod per illam cælestis Regni clavem, per illam dure Servitutis abrogationem, vinculorumq; infernalium rupturam, in Sponsæ Tue gremium, in Tuos Filios clementissimè adoptati sumus, Tue Beneficiæ Indicium est, DOMINE! Quod Tuorum Sacerdotum opera ad vitam æternam erudimur, quod Tibi per venerandum Cœnæ Mysterium in hac mortalitate jungimur, quod in spe atq; expectatione future Hereditatis & gaudemus, & securi recumbimus, Tue Bonitatis Argumentum est, DOMINE! Et ut ad reliqua etiam transeamus, quod Imperiorum Optimum, tot antea cladibus vexatum, tot exhaustum tributis, tam crebra agrorum vastatione attritum, tot acerbis Civium diremptionibus allisum, tot hostium incursionibus undiquaq; expositum, tot mille millium, quæ tanquàm piaculares hostiæ cadebantur, cruore maculatum, ut Exemplum prope omnium rerum humanarum, id est, labentium & inconstantium esse

e 3

videre-

(80) Daniel. XII. 3. (81) Matth. V. 19.



videretur, in quo præter parietes & vestigia, præter levissimam Umbram, & simulacrum Fœlicitatis imaginarium, nihil solidi aut integri, nec duraturum quicquam, aut stabile superfit, quia ubiq; effusis crinibus latam vastitatem ostendebat; quod hoc Imperium, novum illud sidus, tot gemitibus, tot lachrymis desideratum, tandem vidit, & per Pacem ac Concordiam prostrata erexit, saucia & lesa sanavit, & quæ à tristibus Bellonæ fulminibus integra manserant, ab interitu servavit potentè & confirmavit, *Tuæ Majestatis, Tuæ Clementiæ & Opus est, & Munus, DOMINE!* Deniq; quod ex recenti Vulnere superstites cicatrices, situ squalida, horrendæ visu, contactu periculosa, medica manu adhibita, in augustissimo Comitiorum Theatro, vel planè sublata, vel ad meliorem tantum faciem redacta, *Tuæ Bonitatis, Tuæ Providentiæ Argumentum & Indicium est, DOMINE!*

§. 50. *Eja igitur, Benignissime Hominum Servator! Eja Fidelissime Mortalium Custos! Serva, serva, queso, Tuam erga nos tam pronam, tam benevolam Voluntatem, & Misericordiæ sinum pande ulterius, ut domi forisq; sub Tua manu salvi simus & incolumes! Ades dum, Optime Parens! & nos, qui summo jure Tui omnes sumus, ardentissimo etiam Amore Tibi magis magisq; assere, & quos finxisti, ad nutum tuum resinge! Respice, quesumus, respice & tuere inclytum SENATUM, POPULUMQUE NORIBERGENSEM, inq; illo serva tam pium, tam benevolam erga Tuos Antistites, omnesq; adeo Literatos Animum, quem (82) Ejus Majoribus dudum indidisti. Sic Academia quoq; ista, certè optima Eruditionis ac Virtutis Officina, florebit perpetuò, roburq; sumet ac vires, ut in illa crescant Divina juxta ac Humana Sapientia studia, sine quibus nec addisci Virtus ritè, nec benè gubernari Respublica potest. Sic augustus & illustris ille Confessus Vester, Patres Academia Conscripti! sempèr totius rei literariæ fulcrum ac stabilimen insigne audiet, recipietisq; hostimentum, pro summa illa Benevolentia ac Huminitate, quam mihi, Cultori Vestro, hætenus prolixè exhibuistis. Sic Vos quoq; O mei! fœlicissimam Studiorum Metam attingetis mecum, Virtutisq; ac Eruditionis, & Laboris illustrem consequemini Adorem. Ita animitus opto ac voveo, Vobis omnibus ac singulis, propter effusissimum Favorem, Germanamq; omnino Fidem vel prisca Solduriorum Lege perpetuò devotus obstrictusq;*

D I X I.

(82) Vide Defensorium Sacerdotum D. Christophori Scheurlio.

SOLI DEO GLORIA!

Car-



**Carmina, primæ hujus Dissertationis**  
Editioni adjuncta.

**Q**ui Claros famâ Virtutis & Artis adæquas,  
Chare PHILIPPE! Viros, toto applaudente  
Lycéo,

Cum nuper dignis Munus venerabile Verbi  
Laudibus ornâris, cujus moderatur habenas  
Spiritus illustrans pulsâ caligine Mentis;  
Ipse Tuis studiis adsit faveatq; JEHOVAH,  
Orbe Ministerii decus ut merearis in isto:  
Gratior at longè cingat tua tempora Laurus  
In Cælis, nunquam deperdens frondis honorem!

L. M. Q.

fac.

GEORGIUS KÖNIG, S. S. Theol. D.,  
& in Acad. Altdorffinâ P.P.

**F**ertilis Ingenii feliciter exere Merces,  
& refer excultâ Dexteritate Patrem!  
Quos Pater ex merito dudum impetravit Honores,  
hos etiam meritum scito manere Tuum!

Clarissimo Dn. Autori

L. M. Q.

f.

Johannes Michaël Dilherrus,

Cum



**C**um PHILIPPE! SACERDOTI DECUS Ore diserto  
Exponis, studio est res ea digna Tuo.  
Augeat Altipotens, quæ largè contulit alta  
Munera, & Officii TE Sacri honore beet!

Hiscæ paucis eruditæ Dissertationis  
Auctori gratulatur

Daniel Wülffer, Noribergæ Pastor ad  
S. Laurent. & Log. Physic, & Me-  
taph. P. P.

---

**Q**uanta SACERDOTI MAIESTAS Ore diserto,  
atque Stylo nitido, CLARE PHILIPPE! doces.  
Si plures secum reputarent sæpius illam,  
Eusebiæ major cultus honorque foret.  
Maçte, PHILIPPE, tuâ Virtute! Verere verendam  
hanc Majestatem, queis decet usque modis.  
Ubere cum fructu sic versa urus in almæ  
Eusebiæ sacris Mysta Verendus eris!

*Boni ominis causâ*

*fac.*

M. Justus Jacobus Leibnitz/  
Noriberg. ad S. Jacobi Pastor.

F I N I S.





IN NOMINE JESU!

De

VERIS SACERDOTII RE-  
QUISITIS DISSERTATIO.

§. 1.



uemadmodum (1.) maximas prestantissimasq; Res semper hac Necessitas sequitur, ut cum summâ Difficultate, presentissimoq; Discrimine ac Periculo conjuncta sint; Ita fieri aliter non potest, quam ut eandem Fortunam angustissimum sacratissimumq; Sacerdotii experiatur Munus: Idq; tanto majori cumulo, quanto magis Sublimitas ejus ac Majestas super omnes humanas res merito suo se extollit. Quid enim majus inter Mortales, quam Unum praeesse pluribus, intimare vitæ beatè instituenda Leges, Animos, Linguas, Moresque ac Facta Hominum moderari? Divinum quoddam hoc Opus esse videtur; Sed cum grandi Ruinâ! Igitur & propria, & aliena Salutis prodigus fuerit, qui ipsis etiam Angelicis humeris tremendum formidandumq; Munus suscipere, aut tam difficilis juxta ac periculosa alea rem aggredi audeat prius, quam ab Eo, Qui & animum, & vires, & facultatem unicè largiri potest, legitimè ac decenter fuerit vocatus. Quomodo enim sibiipsi in tam difficili & periculosâ pugna, quam adversus horrendam illam, ipsoque solo aspectu formidabilem infernalium Hostium colluviem instituere cogitur, robur juxta ac viros polliceri, aut tam sanctè sibi concreditos certos reddere potest: DEUM suâ operâ in ipsis convertendis efficaciter uti velle, nisi per legitimam Vocationem ad se quoque pertinere demonstrat illam JEHOVÆ sententiam: (2) Posui verba Mea in ore tuo, & in Umbra Manus Meae protexi Te, ut plantes Caelos, & fundes Terram, & dicas ad Sion, Filius meus es Tu!

†

(a)

§. 2.

(1) Vide Joh. à Wövern Polymath. c. 1. l. 11 (2) Esa, LI, 16



§. 2. *Præsertim cum omnium rerum Dissensator ac Arbiter non modo contra (3) Currentium, & seipso vel vi, aut dolo ingerentium nefarios ausus tanto zelo ac fervore minas effundat, & Sponsam suam sedulo moneat, ne fallaces illos Procos vel admittat, vel audiat, sed etiam (4) tanquam Sibi prorsus ignotos, tanquam fures ac latrones à facie suâ rejiciat, eosdemque & lepra, & fame, & gladio consumat, quin terræ quoque aperto hiatu absorptos in sulphuris ignisque stagnum vivos det præcipites: Pœnis istis ac tormentis satis ostendens, quàm serio, maximam quàm graviter illorum detestetur arrogantiam ac temeritatem. Unde & præcipui utriusque Pacti Doctores Sacerdoti honorem sibiipsis sumpserunt minime, sed semper à Deo Vocationem sunt præstolari, quod, uti ex Patriarcharum numero de (5) Melchisedeco, Altissimi Sacerdote, deque (6) Abrahamo manifestum est, ita de (7) Aarone, & reliquis Levitis cuius Veterum memoriarum Historias legenti patet. Idem de (8) Prophetis, deque Prophetarum Maximo, CHRISTO JESU, Ipso Ministerii Authore ac Domino, idem de Apostolis, Apostolicisque Viris præter alia ex eo evincitur clarissimè, quòd tam crebrò, tantâque fiduciâ & alacritate ad Vocationem & Missionem suam provocent, rati, tum demùm se pro legitimis Animarum Ducibus haberi, si istam provinciam non à semetipsis sumptam esse, sibi conceditis pro viribus ostenderent. Ac uti salvificam horum Doctrinam Ecclesia, Augustanam Confessionem amplexæ, meritò sequuntur; Ita ejusdem etiam Doctores sanctissimum illorum Exemplum sibi imitandum jure meritoque proponunt, (9) nemini facultatem publicè docendi, aut Sacramenta administrandi ordinariè concedentes, nisi RITE Vocatus sit. Et verò publicâ hâc solenniâ Professione, in totius Sacratissimi Imperii conspectu dudum factâ, (10) veterum juxta ac recentium Pontificiorum imputationes facillimo negotio retundunt, quibus nostris affingere solent, ac si omnia confuse & sine ordine geri permittant, ac si Cathedram adversus Cathedram, Altareque adversus Altare erigant, & ex Coementariis; Laniis, Coquis, Sartoribus, aliisque Opificibus ad Comitibus, vel Baronibus, & non rarò alicujus Fœminæ imperium Ministros Ecclesie faciant, qui postea vel pro lubitu, vel ex Superiorum jussu ad priora officia redeant, sibi ipsi & Laici fiant, & Episcopi.*

§. 3. *Istæ verò Vocatio cum vel ab Ipso Deo immediatè, & nullo interveniente, vel ab Hominibus, quibus jus & Potestatem concessit, facta fuerit,*

(3) Jer. XXIII. 21. 32. c. XXVII. 9 (4) Matth. VII. 23. Jerem. XXII. 30. Joh. X. 1. II. Paral. XXVI. 16. Jer. XIV. 15. Num. XVI. 32. (5) Gen. XIV. 13 (6) Gen. XX. 7. (7) Exod. XXVIII. 1. Num. I. 49. (8) Esa. VI. 8. cap. XLVIII. 16. Jer. I. 4. Luc. I. 70. Matth. X. 40. c. XV. 24. Rom. I. 1. Act. V. 32. (9) Augustan. Confess. Art. XIV. (10) Andr. Fabrit. Leodius Harm. A. C. Art. XIV. Laurentius Artur. Assert. de Vocat. Minister. assert. 2.



fuerit, & adhuc fieri soleat, hinc nata est famosa illa, & satis frequens in  
 Mediatam & Immediatam Distinctio. Hæc planè Extraordinaria est, &  
 olim in Patriarchis, Prophetis, & Apostolis locum habuit, quorum (11) qui-  
 dam tametsi vel per Sortem, vel per Hominum Denunciationem, atque adeò  
 per Media vocati videantur: Nihilominus tamen eorum Vocatio ad Ipsum  
 Deum immediatè referenda est, cum Sors illa, Hominumve Denunciatio  
 nil, nisi immediata Vocationis Declaratio dici mereatur. Hodie verò illa  
 vix exspectanda fuerit amplius, quod nulla ejusdem vel Promissio extet, vel  
 Necessitas appareat. Maxime cum dubium non sit, non minus illam, quæ  
 in presenti communi Divine Providentiæ ratione peragitur, Vocationem, Di-  
 vinam esse, quàm olim ea fuit, quæ ab Ipso Deo absque mediis facta est.  
 Præterquam enim quod (12) Apostolus de Se & Timotheo scribit: Utrum-  
 que Christi Legatione fungi, & (13) Apollini quoque, quoad Ministerii  
 efficaciam & fructum præferri non vult, tametsi neuter horum immediatè  
 vocatus esset, (14) sanè satis magnificè de omnibus Ephesina Ecclesiæ Pres-  
 byteris, per ordinaria media vocatis, profitetur: Eos ab Ipso Spiritu Sancto  
 constitutos esse, ut regerent Ecclesiam DEI, quam proprio suo Sanguine acquisi-  
 vit. Quin (15) Divinam quoque, quæ pollebat, Authoritate, Timotheo suo  
 ac Tito gravissimè injungit, fidelibus hominibus, qui apti & idonei essent ad  
 docendum alios, commendare, quæ ab ipso audierant, & per varias Civitates Pres-  
 byteros constituere, ut manifestè ostenderet, Mediatam quoque Vocationem  
 non tantum Exemplis niti, sed Divinam etiam Institutione gaudere.

§. 4. Ut autem appareat, quibus Doctoribus illa hodiè competat ma-  
 ximè, age in vera & genuina ejusdem Requisita, incertis & dubiis prius re-  
 jectis, inquiramus paulò altius, cum Pontificii Ecclesiæ nostras vel hoc etiam  
 nomine suspectas reddere coeantur, quod legitimis Pastoribus, atque adeò &  
 gratiosissimam peccatorum Remissione, & vero Corporis & Sanguinis Dominici  
 usu orbate ac destitute, nil, nisi Umbram quandam, aut Larvam Veritatis  
 possideant. Insolens sanè & temeraria Assertio, cujus si magnitudinem spe-  
 ctas, polliceri Tibi haud abs re poteras, non deesse illis validas prægnantesque  
 rationes, quibus fulcire illam, & vel apparenter saltem ad Oraculorum Di-  
 vinorum præscriptum veram reddere possint. Si autem probationem tantæ  
 rei exegeris, ad veterem illum coccyllum de Majorum ac Minorum Ordi-  
 num, per quos prius ad Sacerdotium ascendere detur, de Miraculorum, quibus  
 ipsorum Opinione nova Doctrina probanda, & potissimum de Successionis De-  
 fectibus relabuntur.

(a) 2

§. 5.

(11) Aaron, Elifaus, Matthias, Exod. IV, 14. 1. Reg. XIX, 19. Act. I, 24. (12)  
 2. Cor. V, 18. (13) 1. Cor. III, 4. (14) Act, XX, 28. (15) Rom. XV, 18, 22. 2. Timoth. II,  
 2. Tit, I, 5.



§. 5. Sedenimverò Ordines, (16) quos sub diro Anathematis fulmine observari volunt in Ecclesiâ, ubinam, & quo in loco Scriptura, quo versu fundamentum habent? Et verò cum non habeant, quomodo damnandi, qui per eos, velut Gradus quosdam, in Sacerdotium tendere nolunt? Sane qui de Reipublica alicujus Instituti ac Consuetudinibus differere presumpserit, aliosque adigere fuerit conatus, ut in hunc morem Ordines Magistratus juxta ac Populi domi forisque constituent, inconsultis Legibus, à Principe, vel alio Rerum potente in illâ Republicâ latis, negotium hoc aggredietur minimè, nisi vel insulsus, vel temerarius audire velit. Illi tamen de Ecclesiâ, DEI Ipsius Republicâ, in quâ Ipse presidet, proque inexhaustâ Sapientiâ, ac Potentiâ incomprehensibili omnia liberrimè moderatur ac gubernat, plurima comminiscuntur, Rectoresque ac Duces sanctissima istius Congregationis non secundum Leges, in Scripturis à Domino prescriptas, sed secundum propriam Opinionem constituendos decernunt. Ex hoc enim fonte Actuum istorum, quos in consecrandis Sacerdotibus suis adhibent, rivi unicè derivantur: Certè limpidissima Scriptura Aqua ne guttam quidem roborandis istis Consuetudinibus subministraverit, nisi dicere velint: Servatorem Optimum Ostiarios ordinasse, cum Principes portas aeternales aperire juberet, egressosque ac vendentes extra Templi propelleret limites: Instituisse Acoluthos, cum Lucem Mundi Se profiteretur, Quam, qui sequatur, in tenebris non ambulaturus sit: Consecrasset Subdiaconatum, quando linteis se praecinxit, & mittens aquam in pelvem, pedes Discipulorum lavit, & linteis terxit: Diaconatum verò, cum post Cœnam Sacramentum Corporis & Sanguinis dispensavit, Apostolosque dormientes ad Orationem excitavit, dicens: Vigilate & Orate! uti de his, aliisque Ordinibus ex (17) Lombardo nonnulli perpèramtè colligunt. Si hoc non est, agere nugas in re seriâ, certè nemo unquam nugas in illâ egit. Quis enim non eadem facilitate peculiarem asino infidentium, convivantium, navigantium, aut orantium, ad (18) Juliani Apostata exemplum, Ordinem instituerit, & ad Sacerdotium requisiverit, cum Servator asino Hierosolymam ingressus sit, vocatus convivis interfuerit, spumantibusque Maris Se commiserit fluctibus, & allegatis in caelum precibus pro nostrâ incolumitate egerit excubias? Hac si vana sunt, fateantur & suam in aëstruendis Ordinibus suis imbecillitatem. Aut, si aliud fundamentum ex Fiduciariis illis Tabulis allegare possunt, faciant nobis hanc gratiam, & (19) legant Necessitatem istorum Ordinum in Prophetarum predictis, in Psalmorum cantibus, in Ipsius summi Pastoris vocibus, in Evangelistarum predicationibus: Legant, & credemus!

§. 6.

(16) Concil. Trident. Sess. XXIV. Can. II. (17) Lib. 4. sent. dist. 24. (18) Nazianz. Orat. in Julian. Sozom. l. 5. c. 16, (19) August. de Unit. Eccles. c. 6,



§. 6. Quod si in isthoc negotio conatus suos irritos fore, oleumq, ac operam se perdituros existimant, ex Apostolorum saltem Instituti & Consuetudinibus Necessitatem Graduum istorum evincant. (20) Hominum Piscatores, Verbi Pradicatione illos ad eterna pascua ducentes, Eos ab ipso Divina Vocationis puncto factos legimus: Nuspian Lectores, Ostiarios, Acoluthos, &c. Sic necessitate postulante (21) ab Apostolis Diaconos etiam constitutos esse, assumptosq, in itinere pro Comitibus & Adjutoribus, manifestum quidem est; Peculiarem tamen Ordinem ex illo sive Diaconatu, sive Ministerio & Comitatu minimè constituerunt. Enimverò cum ad Ecclesia administrati- nem multa requirantur, que in satis numerofo cœtu ab uno, vel paucis non expediri possunt feliciter, aucto Christianorum grege, jamq, lato gemma- rum turgente partu, certis Personis certa Officia demandata sunt, in qui- bus, tanquam stationibus suis, operam suam elocarent. Ita Apostolos Mi- nisterio Verbi, Sacramentorumq, & Eleemosynarum Dispensationi vacasse initio, (22) manifestum est. Ut autem Verbi Ministerio, Precibusq, tanto ferventiùs inservire possent, nec aliis curis, aut sollicitudinibus ab Anima- rum detinerentur partu, (23) Eleemosynarum distributionem aliis, quos Dia- conos nominabant, demandarunt. Et quia Apostoli nonnullas satis probatos ad docendi quoq, munus admiserunt, (24) quod Stephani & Philippi exem- plo patet, absque dubio hic istorum Graduum etiam fuit Usus, ut in Mino- ribus prius preparati, postea magis ardua Ministerii Officia tanto felicitiùs expedire possent. Sed enimverò nullibi certus Ordinum istorum Numerus determinatus est, adeò, ut ne Apostolorum quidem tempore observati sint ubiq, & in omnibus Ecclesiis, sed pro ratione Ordinis ac Decori, vel Edi- ficationis jam plures, jam pauciores extiterint. Ita Gentium Doctor (25) Prophetarum, Evangelistarum, Pastorum, Doctorum, (26) Diaconissa- rum, (27) Commilitonum, (28) Cooperariorum, (29) Episcoporum, &c. meminit, non, ut illis Nominibus distinctos, & semper ac ubiq, in Ecclesia observandos Gradus constituat, sed ut varia saltem Dona, à Deo in usum crescentis Ecclesia concessa largissimè, illaque Officia, que suo quilibet modo peragebat, gratis extollat ac depradicet. Ac tamen illis nominibus varios Gradus instituisse; Pontificiorum tamen Ordines hoc ipso Apostolicâ Institu- tione gaudere minimè probaretur.

§. 7. Cœterum videamus, utrum ex venerandâ illâ Præscorum Pa- trum canitie pro Ordinibus suis proferre possint quicquam. Equidem vario- rum Ordinum apud plurimos Scriptores mentionem fieri manifestum est. Sed

(b) 3 unquam  
 (20) I. ne V. 10. (21) Act. XV. 39. 40. (22) Act. VI. 2. (23) Act. VI. 1. (24) Act. VI. 5. VII. 5. (25) I. Cor. XII. 7. Ephes. IV. 11, (26) Rom. XVI. 1, (27) Philip. II. 25. (28) Coloss. I. 7. & IV. 7. (29) Phil. I. 1.



unquam tamen non nisi per illos ad Sacerdotium tendi, ante Tridentinos sub Anathemate definitum esse ac determinatum, nusquam reperias. Ita Episcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum (30) Iustinus, (21) Dionysius, (32) Tertullianus, & (33) Origenes nominant. Eisdem (34) Ambrosius etiam recenset, quos tamen (35) alio loco aliter enumerat. (36) Hieronymus ex Episcopatu & Presbyteratu unum facit Ordinem. Audio, inquit, quenquam in tantam vecordiam erupisse, ut Diaconos Presbyteris, id est: Episcopis anteferret. Augustinus (37) Episcopos, (38) Condiaconos, (39) Subdiaconos, & (40) Acoluthos nominat. (41) Sozomenus verò Protopresbyteros, Archipresbyteros, (42) Hypodiaconos, & Archidiaconos, (43) Epiphanius Janitores, Exorcistas, s. Ejuratores, itemque Laboratores, qui corpora Mortuorum obvolvunt & cooperiunt, recenset. (44) Optatus Milevitans, Certa membra, inquit, Ecclesia habet: Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Ministros, & Turbam Fidelium. (45) Idem Episcopos in primo, Presbyteros in secundo, Diaconos in tertio Sacerdotio esse dicit. (46) Gregorius, cognomento Magnus, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Cantores, & Lectores Clericos appellat. Idem (47) Presbyteri Cardinalis, (48) Diaconissa, Monasteria, & Assistoria meminit. Primicerios, Secundicerios, Saccellanos, Mansionarios Pontificale passim nominat. (49) Lombardus verò: Excellenter, inquit, Canones duos tantum Sacros Ordines appellari censent; Diaconatus scilicet & Presbyteratus, quia hos solos Primitiva Ecclesia legitur habuisse, & de his solis preceptum Apostoli habemus. Eandem sententiam (50) Urbanus Papa in Jure Canonico approbat. (51) Rabanus Maurus verò Octo Ordines, sive gradus numerat. Exadverso (52) Canonista septem Ordinibus Episcopatum & primam Tonsuram adjicientes, novem constituunt, quos (53) Valentia iterum ad octonarium restringit numerum. (54) Titelmannus autem decimum quoque addit, ut eò magis augetur dissensio. Et quidni igitur satis cause Adversariis sit, rem, tantis tenebris, tot dissensionibus involutam, sub eterna Damnationis periculo & precipere, & ad probandam Ministerii Veritatem ab aliis insolenter exigere?

§. 8.

(30) Apolog. II. (31) Hierarch. C. V. (32) de Coron. Milit. (33) Homil. XV. in Jerem. (34) De Dignit. Sacerdot. (35) l. i. Officior. c. 44. (36) Ep. 85. ad Evag. (37) Ep. 34. 36. (38) Ep. 59. (39) Ep. ad Quod vult Deum. (40) Ep. 62. (41) l. 8. c. 12. (42) l. 4. c. 3. l. 7. c. 19. (43) Contra Hæres. l. 3. T. 2. p. 318. (44) lib. 2. cont. Parmen. (45) l. 1. cont. Parmen. (46) l. 11. Indict. 6. Ep. 54. (47) l. 10. Indict. 5. Ep. 12. (48) l. 11. Indict. 6. Ep. 54. (49) l. 4. sent. dist. 24. (50) c. Nullus, dist. 60. (51) l. 1. de Instit. Cleric. c. 4. l. 4. de propriet. ferm. c. 5. (52) cap. cum contingat. de ætate & qualit. Ordinand. & cap. 1. de Ordin. ab Episcop. qui renunc. (53) T. IV. q. 1. p. 11. (54) l. 1. de Sacram. c. 3.



§. 8. Porro autem quotusquisq<sup>3</sup> Cantorum est, (55) qui non vel horrendos Clamores ac mugitus, aut inconditum aliquod murrur, & nescio quid asperi striduliq<sup>3</sup>, peregrinâ & nonnunquam barbarâ linguâ edat, si concinno vocis flexu populum vel informare, vel ad maiorem devotionem excitare debet? Quotusquisq<sup>ue</sup> Exorcistarum, qui per manuum Impositionem Spiritus immundos à Corporibus obsessis repellat, & vel ex solâ Effectus istius denegatione agnoscere & fateri non cogatur: Planè extraordinarium hoc Donum esse, atq<sup>3</sup> adeò ad ordinarios Divina Providentiæ actus referri non debere, nisi Deum tentare, Ministeriisq<sup>3</sup> operas dubias & fallaces reddere velit? Imò quotusquisq<sup>ue</sup> Episcoporum ac Presbyterorum, qui ad Optimi Servatoris mandatum, Apostolorumq<sup>ue</sup> Ordinationem commissos greges Verbi predicatione pascat ipse? Huiusmodi igitur Ordines nequè à Christo, aut Apostolis institutos, nequè ab eorum Successoribus semper & ubiq<sup>3</sup> observatos, quorum Officia nec ipsi implere possunt, nec, quæ possunt, implent, quâ tandem fronte, quo animo à nobis, tanquam necessarium legitimæ Vocationis Requisitum, exigere ac flagitare audent?

§. 9. Potiorine verò jure Miraculorum gloriam à nobis postulant? Equidem si aut veræ Doctrinæ Puritatem eadem semper & ubiq<sup>ue</sup> comitarentur, aut veræ Ecclesiæ unicè propria essent, haberent certè, quibus huic Postulato speciem ac colorem reddant. Nunc verò cum nec omnibus legitimis Doctoribus, sive immediatè, sive mediatè vocatis, Miracula perpetuò & universalitè concessa sint, nec ulla Promissio extet, ab illis ultimis hisce temporibus eadem profectura, dabunt, opinor, veniam, si impleamus minimè, quæ absq<sup>ue</sup> fundamento à nobis exigunt. Enimverò noluit Divina Sapiëntia semper & ubiq<sup>ue</sup> existere Miracula, cum, quæ quotidie fiunt, tametsi summam mereantur Admirationem, Miraculi nomen non obtineant, quippè quæ solâ fermè RARITATE pro talibus habentur. Ita (6) Sol singulis diebus universum Orbem illuminat, & luce perfundit, diem quoq<sup>ue</sup> & annum, & anni tempestates metitur. Arborea florent, fructificant, sathiscunt: Demum repullulant, revirescunt, reviviscunt. Humorem, seu succum terræ vitis palmas in vinum, semen in spicas, granulum in herbam, nucleus in lignum, in arborem prae grandem vertit. Tot homines porro singulis horis concrescunt, nascuntur, crescunt. Sunt hæc utiq<sup>ue</sup> maxima Miracula, quæ Deus solus facit, quæ nemo imitari queat, quod & Natura te docet, & ipse negare non potes. Attamen quia ista perpetuò vides, non respicis, non advertis: Si vel horum minimum Novum sit, admireris & stupeas. Jam, ut tua Infirmi-  
mitati subveniatur, Sol deficit, aut cursum sistit, stipes efflorescit, aqua in  
vinum

(55) Vide B. Parentis Cleri Apostolico-Catholici Assertorem §. 213. (6) Morn. de Verit. Rel. Chr. c. 33. p. 550.



vinum mutatur, mortuus resurgit. Nempe, ut intelligas, Virtutem istam, que initio operata est, operari etiam, quando lubet: Cujus ut effectus vivunt, ita nec causa mortua, aut effecta est. Quod si quotidie in Sole, in Plantis, in Hominibus Miraculum aliquod videre detur, intra centum, aut pauciores annos Miraculum ex Consuetudine in Naturam abibit, & que Infirmi- tatis fulcra fuere, Incredulitatis pretextus erunt, tandemque persua- dendo Mundo novum Mundum in Mundo creari oportebit. DEO igitur utique gloriosus est, Nobis salutaris, ut Natura Naturam suam sequatur, Miracula Miraculi locum obtineant, id est: Rara sint, & ad infirmam istius Natura necessitatem accommodata: Non, inquam, unius Hominis, & Seculi, sed universi Generis Humani, & totius simul Ecclesie, qua una Respublica est, unus veluti Homo.

§. 10. Atque eo quidem nomine sub Veteri Pacto Sacerdotes & Le- vite, Prophetarumque plurimi Miraculorum illa gloria caruerunt. Quin nec Ipse Servator, aut Apostoli eadem semper & ubique adhibuerunt conver- tendis Hominibus, quod (57) Samaritanorum, Berrhoensiumque Exemplo cuius manifestum est, quippe quos sola Verbi Virtute & Efficacia ad Supre- mam illam Mentem duxerunt. Quomodo igitur a nobis flagitant, que ab illorum vel toto Ministerio, vel certis quibusdam ejus Actibus sine periculo ac discrimine abesse potuerunt? Maxime cum ipsi (58) Sacrarum Literarum autoritate, (59) Veterumque ac recentium Historiarum monumentis ad- acti, agnoscere cogantur, non modo a perversissimis Hæreticis, sed ipsis etiam Ethnicis & Gentilibus Miracula edita esse, ac proinde illa verorum Docto- rum infallibilem notam dici minimè posse. (60) Simon certe Magus Sama- ria gentem, ipsumque Neronem Cesarem usque adeo dementaverat, ut Vir- tus DEI, que vocatur magna, diceretur. Opera pretium fuerit (61) Ni- sephorum, Artes ejus recensentem, paucis audire. Itaque, Simon Magus, inquit, admiranda faciebat. Nam ut Statua moverentur efficiebat, & in edibus vasa atque instrumenta domestica se sponte propria hinc inde transfe- rebant, & ipse flammis circumdatus, non urebatur. Ex lapidibus, fisco ho- minibus objecto, panes faciebat. Draconis quoque formam induebat, & in varias animantium species mutabatur. Duplici facie indutus conspiciebatur, & in aurum sese totum transformabat. Fores, vectibus & claustris probe communitas & occlusas, dicto aperiebat, vincula ferrea disrumperebat, in

(57) Joh. IV. 42. Act. XVII. 11. (58) Exod. VII. 12. Matth. XI. 20. Luc. 11. 19. (59) Irenæus. l. 1. adv. hæres. c. 8. 11. l. 3. c. 17 August. de Unit. Eccles. c. 16. de Civ. Dei. l. 10. c. 16. l. 22. c. 8. Athanas. qq. ad Antioch. q. 110. Theophyl. in c. 9. Lucæ. Socrat. l. 7. c. 8. 17. Gregorius, l. 20. Moral. c. 8. Cicer. Act. 4. in Verrem. Macrobi. Saturn. l. 5. c. 19. VVolfius Tom. 2. Lect. Memor p. 393. Busbequius Ep. 4. Legat. Turcic. (60) A. V. VIII. 9. Egesippus. l. 3. c. 2. (61) l. 2. Hist. Eccles. c. 17.



conviviis omnifariam formularum simulacra exhibebat, ut plurima ante eum  
 procederent umbra efficiebat, quas defunctorum Animas esse nugabatur. Nes  
 ipse modo, ad quam vellet, transformabatur speciem, verum etiam alios,  
 quos voluisset, in variorum Animantium formas mutabat. Quosdam au-  
 tem, eum Planum eum & Scurram esse, coarguere & convincere tentarent,  
 Amicitia prætenu simulato, bovem sacrificans, ad epulas invitabat, ac inde  
 multiformibus, iisque incurabilibus Morbis & Damonibus subiciebat. Sic  
 Erin Armenium, cum occubisset in praelio, sublatis decimo die cadaveribus,  
 cæteris jam putridis, integrum corpore non corrupto, repertum fuisse, domum-  
 que delatum, ut sepeliretur, duodecimam jam ab obitu die, cum pyra imposi-  
 tus esset, revixisse, & qua interim vidisset, retulisse, (62) Plato memorat.  
 De Apollonio verò Tyaneo, qua non Mira narrantur? (63) Cum Roma  
 Domitianus interficeretur, ille Ephesi inter Philosophandum & disputandum  
 exclamavit: Πᾶσι τῶν Τύγγων, καί: Percute Tyrannum, Percute! Quum  
 stuperent Ephesi, qui frequentes aderant, subsistens Apollonius, sicut face-  
 re solent, qui rem aliquam, dum sit, videntes, quò tandem evasura sit, ex-  
 pectant, tandem: Confidite, inquit, O Viri! Tyrannus enim occisus est ho-  
 diè. Quid autem dixi hodie? Imò hoc ipso temporis momento! Plurima  
 ejusdem farina (64) Augustinus simul recenset ex Ethnicorum scriptis, ut  
 (65) quod cotem Tarquinius novacula secuit, (66) quod Epidaurius serpens  
 Esculapio naviganti Romam adhaesit comes, (67) quod navim, quâ simu-  
 lacrum matris Phrygia vehebatur, tantis hominum boumq; conatibus immo-  
 bilem redditam, una Muliercula zonâ alligatam, ad sua pudicitia testimoni-  
 um movit & traxit, (68) deniq; quod Virgo Vestalis, de cujus corruptione  
 questio vertebatur, aquâ, impleto cribro de Tiberi, neq; profluente, abstulit  
 controversiam.

§. 11. Tametsi autem facilimè largiamur, plurima istorum Porten-  
 torum vel diabolicis fascinationibus, vel magicis prestigiis ascribenda esse;  
 Quis tamen tante audacia ac temeritatis est, ut inter hæc, & verè Divina  
 Miracula evidens, & quibusvis obvium Discrimen constituere sibi presu-  
 mat, quod propter summam humani Intellectus imbecillitatem, & vix asse-  
 quendam Mille artificis astutiam fieri posse Pontificiorum plurimi negant, quos  
 secutus (69) Bellarminus, inquit: Ante approbationem Ecclesia non est evi-  
 dens, aut certum, certitudine fidei de ullo Miraculo, quod sit verum Mira-  
 culum, quia non constat nobis certitudine, cui non potest subesse falsum, illa

† (b) non

(62) I. 10. de Rep. (63) Philostrat. l. 8. c. 10. (64) I. 10. de C. D. c. 16. (65)  
 Cicero l. 2. de N. D. l. 1. de Divin. Livius. l. 1. Halicarn. l. 3. Valer. M. l. 1. c. 5. Plinius  
 de Viris Illust. in Vitâ Tarquiniæ. Fenestella de Sacerd. Rom. c. 4. Lact. l. 2. cap. 8. 17.  
 (66) Valer. M. l. 1. c. 9. (67) Herod. l. 1. Ovid. 4. Fast. Cicero de Harusp. resp. Mi-  
 aut. Felix in Octavio (68) Val. M. l. 8. c. 1. (69) l. 4. de Eccles. c. 14. §. Est autem,



non esse illusionem Damonis. Damon enim, etsi non potest facere vera Miracula, tamen potest facere apparenter & maxima quæq;. Atque hoc quidem futurum esse, (70) Gentium Doctor satis clarâ & manifestâ sententiâ innuit, ut salutis sue cupidos, æternæq; gloriæ desiderio flagrantes ab omni seductionis cataclysmo injectes quasi manibus retraheret. Revelabitur, inquit, Iniquus, cuius adventus est secundum operationem Satanae in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, iis, qui pereunt. Hac plurimis retrò seculis impleta esse, & adhuc quotidie impleri qui asserit, sanè nihil à veritate alienum statuet. Quot enim fallaces præstigia pro veris Miraculis imperita plebecule venduntur, saltem ut illis Novitates suas aliquâ ratione palliare possint? Ut unico saltem Exemplo rem faciamus manifestam, sanè pro confirmandâ Sacellorum Sanctitate (71) Turfelinus miraculosam adis Laurettanae translationem in hunc modum narrat: Veniente Domilio, sive Sacello B. Virginis Arbores obvias quasi venerabundas, sese inclinasse, ac deinde pronas constitisse, & tandem ævo, ventis, ferro periisse. Atenimverò si verum est, quod refertur, sanè non minus Miraculum fuerit, quod tam truculenti, tam immanes & barbari inventi sint homines, qui non contenti, rationales illas Arbores ævi ventorumque vi consumi, ferro etiam extirpare easdem fuerint ausi. Digne jure meritoque erant, ut propter insolitum illud incurvationis venerationisque studium, propter sensum, aut aliquam cerebri saltem in illis existentem medullam, pro sacro quodam Lucò constitute, ac mœnibus circumvallata, tanquam fecundissimum Seminarium, ab omni externâ vi perpetuò custodita essent. Quod si autem fundamentum illius Narrationis queramus, Teremani, Parochi Lauretani fide illud nititur, qui Historiam hanc descriptam reliquit in Tabulâ, in Templo Lauretano affixâ. Si porro queramus: Utrum viderit ipse, vel cum alio oculato teste fuerit collocutus, respondet in hunc modum: In horum omnium fidem ac testimonium mihi, Præposito Teremano & Governatori prædictæ Ecclesie, quidam duo boni Viri, hujus ville habitatores, retulerunt, & renunciaverunt, & pluribus vicibus dixerunt. Unus vocabatur Paulus Renaldatus, & alius Franciscus, alias Prior. Et dictus Paulus dixit mihi, quod Avus Avi eius vidit, quando Angeli duxerunt prædictam Ecclesiam per mare, & posuerunt illam in dictâ sylvâ, & pluribus vicibus ipse cum cæteris personis ipsam Ecclesiam in prælibatâ Sylvâ visitavit. Item dictus Franciscus multoties dixit ac retulit mihi, quod Avus eius, qui erat centum viginti annorum, dixit, quod pluribus vicibus visitavit dictam Ecclesiam in eadem sylvâ. Et pari modo ipse Franciscus retulit atque dixit mihi. Quis verò tam luculento Testimonio fidem non adhibeat?

(70) II. Thess. II. 8. (71) I. I. Hist. Lauret. c. 9.



§. 12. Placetne autem uno intuitu egregiam aliorum Miraculorum Scenam conspicerere ac intueri? Ecce presto sunt! Ducunt enim nobis in Theatrum cruces & imagines locutas: Idola ingredientia: Simulacra, suas sibi lampades accendentia. Statuam Virginis, ad fidicinis cantum, aureum calceum excutientem: Angelos ad D. Maria imperium impregnatam quandam Abbatissam prole liberantes, ne coram Menialibus confunderetur: Eandem sanctissimam Dei Genitricem Alano Monacho ex propriis capillis annulum conficientem: Muscus diro excommunicationis fulmine tactas & enecatas: Mulos ex alto precipitio quassatos & mortuos, ad vitam resuscitados: Asinos in pactas soleas ad Domini imperium excutientes: Boves enecatos, & jam jam excoriandos, in pedes iterum proficientes: Pucros in pacta alapa in vitam restitutos: Pallia instar lemborum per mare ac flumina homines portantia, & sexcenta alia quorum omnium memoriam ex (72) Scriptoribus istis refricare & piget, & pudet, & tædet. Talia pro confirmandis Novitatibus suis adducunt, certè non ad Ethnicorum, vel Gentilium Conversionem, (73) cui summa Dei Providentia Miraculis succenturiari voluit, cum tales neq; Nos simus, neq; in Italiâ apud Lauretanam, aut in Germaniâ apud Ottingensem Virginem habeant, & ubi illi in Americâ & Indiâ presto sunt, iisdem tamen ad propriam Confessionem destituantur. Ita enim (74) Josephus Acosta: *Quæ est predicatio nostrâ? quæ fiducia? Signa nulla edimus!* Iterum (75) alio loco: Nos Prodigia, quibus Evangelicas voces confirmemus, nulla producimus. Franciscus de Victoriâ, Professor Regius in Academiâ Salmaticensi, (76) Non satis, inquit, mihi liquet, an barbaris Indis fides Christiana ita à nobis proposita fuerit, & annunciata, ut teneantur, credere sub novo peccato. Nam Miracula & Signa nulla audio, nec Exempla Vitæ adeò religiosa, imò contra multa Scandala, & multas Impietates. Xaverius ipse totis quinquaginta Epistolis nunquam Miraculorum, à se editorum, meminit: (77) *Quin potius conqueritur de Ignorantiâ Linguae Japonicæ, quâ fiat, ut inter Incolas illos tanquam mutæ Statuæ versentur. Quod si autem Miraculorum dono usque adeò coruscarent Indicæ salutis Procuratores, certè Linguarum cognitionem sibiipsis acquirerent, tanquam medium, convertendis Hominibus maxime necessarium. Illo autem cum destituantur, vana omnino videtur illa Ostentatio, quâ tot Miracula in Japoniâ, aut Indiâ à suis facta esse dicunt. Nobis verò haud abs re gratulamur, quod talibus prestigiis.*

(b) 2

De-

(72) Vincent. Specul. Histor. Revelation. Brigittæ. Legend. Sanctorum, Francisci, Thomæ, Ulrici. Vita Christianæ admirabilis. Dionys. Carthusian. Lib. de proprietatibus aptum. Discipul. Parat. Mamnotract. Scala cæli. Severin. de Miracul Hyacinth. Drexel. l. 3. Heliot. c. 4. Vernul. Colleg. Porcens. Orat. 16. Valer. Magnus de Reg. cred. l. 8. c. 18. 29. 33. (73) 1 Cor. X. V. 21. (74) l. 6. de procur. Indor. Salut. c. 4. (75) l. 6. c. 12. (76) Relect. 5. propes. 5. (77) l. 3. q. 5.



*Doctrinam nostram confirmandi nulla nos cogat necessitas. Cum enim illa non ad Novi Fœderis tantum tempora, sed ad ipsius etiam Mundi Originem sese porrigat, fiduciariisq; illis Miraculorum, à Prophetis, Christo, & Apostolis editorum tabulis satis superq; roborata sit, quid attinet, aut illam, aut ejus Professores de novo ipsis per peculiaria signa confirmare, quandoquidem & illius Veritatem, & horum legitimam Vocationem ex divinitus revelato Codice agnoscere satis possent, nisi preconceptis Opinionibus fascinati, & oculos, & aures, & animos à clarissimâ hâc luce, tubâq; acutissimâ retrahere laborarent?*

§. 13. *Succedit precipuum eorum Asylum, externa scilicet illa & non interrupta Ministerii Ecclesiastici per Episcopos, & præcipuè Romanum Pontificem Successio, quâ se unice gaudere, nos verò penitus destitutos esse dictitant, hâc ratione imperitioribus persuasuri: Nobis & Episcopos, & Presbyteros, & omnem deniq; omninò Ecclesiam deesse. Itane verò externa hæc sive Loci, sive Personarum Successio legitimos Ecclesie Ministros facit? Quid ergò tum fiet de Apostolis? Cui illi successerunt? Quid de Servatore Ipso? Quem Ille Antecessorem habuit? Fortè Adamum (78) cum Hardingo nominabunt, à quo ad Josephum, Virginis Mariæ Virum, accuratissima Successio? Sed non ignorabunt, eam ad nascendi solum conditionem referendam esse, atq; adeò omnibus Hominibus competere, qui rectissimâ lineâ, Successione quamvis incognitâ, tamen indubitatâ ab Adamo descenderunt, nisi eos sine Patre, aut Matre natos, & de primi Hominis posteris non esse cum novo illo Prometheo, Præ Adamitarum Plaste dicere velint. De Muneris & Officii, non de Nativitatis Successione sermo est, quam in Davidicâ familiâ nunquam fuisse constat. Aut, si ipsorum Opinione fuit, sedes indicent, quis nunquam ex totâ Davidicâ domûs serie pro Sacerdote habitus sit? Quis sacrificium fecerit? Quis populum reconciliaverit Deo ante Christum? Quorsum aliàs Pharisei, Servatorem de possessione suâ dejecturi, (79) dicerent: In quâ Potestate hæc facis? Ubi Successio Tua est? Quid ex Judæa oriendus, & ab omni Sacerdotii Jure, Successionis Lege exclusus, nobis commissos fascis usurpas? Quæ Tibi Vocatio? Quis Sacerdotum in hoc Munus Te admisit? Quis stabilivit, aut probavit? Ex adversò Successionis isthoc scuto Pharisei, ipsiq; adeò summi Pontifices Judæorum, Hannas & Caiphas tueri se, doctrinæq; suæ Veritatem defendere poterant, (80) cum ad Aaronem usq; Antecessores suos nominare possent, certiori fortassis ordine, quam Romanos Præsules Antiquitas numerat. Egregios verò Ecclesie Statores ac Vindices, (81) qui neq; Mosén recipiunt, neq; Christum: Qui cælum hominibus claudunt,*

*eosdem-*  
(78) Confut. Apol. Eccles. Anglic. (79) Luc. XX. 2. & in h. l. Cyrillus. (80) Nîcephor. l. II. c. 4. (81) Joh. V. 45.



eosdemq̄, infernalibus fariis destinant: (82) Qui **DEI** Ipsius Proprium & Unigenitum Filium, Illum Ipsum, Qui tot ac tam multis Beneficiis eos Sibi obstrinxerat, ad Crucem ignominiosissimam condemnant, Ethnico Magistratui, tanquam seditiosum, blasphemum, & infami scelestaq̄, Morte dignum, infelicissimo spectaculo sistunt, quin nec innocentissimi Sanguinis profusione sitim suam explere possunt, sed virus suum etiam in exanimatum expiunt Corpus! Tales Ecclesie Doctores, tantam Malitiam cum (83) Heisio, aut (84) Hosio approbabit, aut iustam esse pronuntiabit, saltem ut sub hoc pretextu suos excusare, maleq̄, cause Bonitatis speciem pessime allegatione (85) cum Bellarmino conciliare possint, qui vitis, iisq̄, non paucis, Romane Sedis gloriam vehementer crescere & amplificari censet? An verò ipsius Veritatis vi adacti, agnoscere incipient, Externam illam vel Locci, vel Personarum Successionem, nihil quicquam ex se valere, nisi Internâ Doctrina vere gloria, velut Animâ ac Spiritu, roborata sit & mansueta?

§. 14. Et quid si valere concederemus? Utrum tantâ verborum vi Romanorum Pontificum predicata Successio aliquid lucri exinde nascisceretur? Usq̄, adeone illam in tuto fidelibus publicarum Tabularum monumentis positam habent, ut nulla unquam dubitatio suboriri queat? Evolvant igitur Annales, & monstrent de Petro, non quâ Horâ, quo Die, aut Mense, sed tantum quo Anno Romam venerit: Utrum sub vita finem, aut primo post Christi Resurrectionem anno, aut nono, aut duodecimo? Quam verò veremur, oleum & operam eos perdituros propter tot Veterum iuxta ac Recentium, præcipue (86) Origenis, (87) Eusebii, (88) Damasi, (89) Bellarmini, (90) Onuphriiq̄, Dissensiones! Monstrent sodes proximos saltem Successores, uter inter eos primus, uter secundus, uter tertius fuerit? (91) Irenæus, & ex illo Breviarium Romanum hoc ordine simul eos numerat: Petrum, Linum, Anacletum, Clementem. (92) Epiphanius ita: Petrum Linum, Clementem. (93) Optatus ita: Petrum Linum, Clementem, Anacletum: (94) Tertullianus, (95) Clemens, (96) Hieronymus, (97) Johannes III. Clementem à Petro proximum fuisse dicunt. Quibus inter hos testes fides adhibenda? Pluribusne, an Paucioribus? Patribus, Ecclesieq̄, Capitibus, an simplicibus Episcopis? Antiquis, an Re-

(b) 3 centio-

(82) Matth: XXVI. 47. seqq. XXVII. 62. (83) quæst. i. de Eccles. §. 17. (84) l. 2. cont. Brent. p. 62. (85) Præfat. in l. de Rom. Pontific: (86) Tom. 3. in Genes. (87) l. 3. c. 1. (88) in Pontificali. (89) li. 2. de Pontific. c. 6: (90) in Addit. ad Platin. (91) l. 3. c. 3. Euseb: l. 5. c. 6. Zenaras Tom: 2. Annal p. 72. d. (92) Tom. 2. contra Hæres. hæres. 27. l. 1. de Carpocrat. (93) cont. Donat. l. 2. (94) de Præscript. c. 32. (95) Ep. 1. (96) l. 1. in Jovinian. (97) Ep. ad Episc. Germ. & Gall.



centioribus? Tutissimum forte fuerit, cum (98) Bartholomæo Caranzâ Lectoris arbitrio in re tam perplexâ Judicium permittere. Ubi verò tum Successionis erit Certitudo? Ubi pendens ab eâ & Ecclesia, & Ministrorum Veritas?

§. 15. Sed Origo ejus, inquam, incerta sit: Sint incerti propter summam Antiquitatem primi Pontifices: Certus tamen est ultra plurimorum Seclorum decursum Romanorum Episcoporum Ordo. At enim verò ubinam Ordo iste in tot diuturnis Vacantiis, in tot Schismatis, Anti-Paparum Dissensionibus, illegitimisq; Romane sedis Invasionibus? Vacasse illam post Johannem III. mensibus undecim, post Clementem IV. annis duobus, post Clementem V. totidem annis & tribus mensibus diebusq; septendecim, post Marcellum annis septem, post Nicolaum 1. octo annis (99) Platina, (100) Cusanus, (101) Marius, & alii testantur. Ubi ergo hic non interruptus Ordo? Perpetuum ne est, quod ingenti hiatu vacillat, & magnâ intercapedine distinguitur? Ubi nemo, qui curat Ecclesie res, & qui eos curare debent, in partes scissi, proprium querunt honorem? Sed & ubi Ordo iste in tot Schismatis & Distraktionibus, quibus Romana Sedes sepius agitata ac concussa est? Maxime in horribilissimo illo, omniumq; que fuerunt, pestilentissimo Schismate vigesimo septimo, quod totis triginta annis duravit, (102) & trium Anti-Paparum factionibus Ecclesiam traxit in tantam ambiguitatem, ut ignoraverit, apud quam partem Sedes Romana esset, nisi forsân DEUS alicui revelasset, aut Salomonis Judicium, de puero dividendo, & verâ ac falsâ Matre hoc persuaderet. Quem hic Petri Successorem nobis nominabunt, cum (103) duo Pape esse nequeant, (104) dubiusq; ac incertus Pape pro nullo apud ipsos habeatur, & Schismaticis nihil furis largiantur in Ecclesia? Porro ubi ordo iste mansit totis 150. Annis, cum à Johanne VIII. ad Leonem IX usq; Pontifices non per Ostium, sed per Posticum ingrederentur? Haud abs re fuerit, Baronium, querelas ac plangētus hoc nomine effundentem, audire. (105) Quot tunc, inquit, ab eis, proh dolor! in eandem sedem, Angelis reverendam, visu horrenda intrusa sunt Monstra? Quot ex eis oborta sunt Mala, consummata Tragedia! Quibus tunc ipsam sine maculâ & rugâ contigit aspergi sordibus, putoribus infici, inquinari spurcitiis, ex hisq; perpetuâ infamiâ denigrari? Atque iterum (106) alio loco: Nobile quoddam Scortum obtinuit Monarchiam Urbis, & Johannes, Sergii (Pape) filius, ex nefario adulterio genitus, obtinuit Ecclesia Romana dignitatem. Tantum invaluit Meretricum Imperium, ut pro arbitrio

(98) Summâ Concil. p. 13 (99) in Vit. Pontif: (100) l. 3 Conc. Cathol. e. 41. (101) de Schismat: & Concil. c. 12. (102) Gerson. serm. de signis Ruinæ. (103) Caus. 7. q. 1. cap. Didicimus. (105) Annal. Ann. 200. n. 1. (106) Annal. Ann. 912. n. 8.



arbitrio legitime creatos Pontifices dimoverant, & violentos ac nefarios homines intruderent! Et rursus (107) alio loco: *Que tunc facies Romana Ecclesia? Quam foedissima, cum Romae domarentur potentissima aequè ac sordidissima Meretrices? Quarum arbitrio mutarentur sedes, darentur Episcopi, & quod auditu horrendum, atque nefandum, intruderentur in sedem Petri Meretricum Amasii, Pseudo-Pontifices, qui non nisi ad consignanda tantum tempora in Catalogo Pontificum scripti? Quis enim à Scortis huiusmodi intrusos, legitimos dicere possit fuisse Pontifices? Nusquam Cleri eligentis, vel consentientis postea aliqua mentio, Canones omnes pressi silentio, Decreta Pontificum suffocata, proscripte antiquae Traditiones, veteresque in eligendo Summo Pontifice Consuetudines, sacrique Ritus, & pristinus Usus prorsus extincti. Tales Pontifices si deleant & obliterent, quam non interruptus erit eorum Ordo! Sin minus, quam sacro-sancta, & veneranda, Ipsiusq; Sanctissimi Flamini presentia laudabilis erit Successio, quippe que tot Ecclesie ac Reipublice Eversores, tot Monstra ac Portenta hominum in communionem suam admittat? Quin nec lascivæ Mulieris & Meretricis, per fraudem dolumq; Romanam Sedem occupantis, illegitimo & impurissimo partu, in publicâ ac solenni processione edito, totq; (108) Historicorum Testimoniis approbato, deformari aut interrumpi potest.*

§. 16. *Quid si verò propriis Regni Pontificii catenis Hydram illam ligare adhuc arctius ac constringere possemus? Age enim, ponamus: Papam errare non posse. Hoc posito fundamento, querimus de Leone VIII. Virum ille Romanus fuerit Pontifex? Fuit utiq; nempine contradicente. Querimus porro, utrum Concilium celebraverit in Templo Sancti Salvatoris? At neque hoc negabit quisquam, cum in (109) ipsis Ecclesie Pontificie visceribus de eo luculentum extet testimonium. Quid igitur? Legem tulit de Pontificibus Romanis eligendis, confirmandis, & introducendis per Imperatores his omnino verbis: (110) Ego Leo, Servus Servorum DEI, Episcopus, cum toto Clero & Romano Populo constituimus, & confirmamus, & corroboramus, & per nostram Apostolicam auctoritatē concedimus atque largimur Domino Ottoni I. Regi Teutoniarum, eiusque Successoribus huius Regni Italia in PERPETUUM facultatem, eligendi Pontificem, atque summæ sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi, ac per hos Archi-Episcopos, seu Episcopos, ut ipsi ab Eo in vestituram accipiant & consecrationem: Et ut nemo deinceps, cuiuscunque Dignitatis, vel Religionis eligendi, vel Patricium, vel Pontificem Summæ Sedis Apostolicæ, aut quemcun-*

(107) Annal. Ann. 912. n. 8. (108) Vide eos apud Wolffium Lektion. Memorab. Tom. 1. Centuriat. Magdeb. Cent. 9. p. 224. Catal. Test. Verit. l. 10. p. 103. D. Hoc in Apocalyp. l. 6. p. 68. s. v. Antapolog. p. 287. 99. Gerhard. Confess. Cathol. l. 2. p. 629. (109) Dist. 63. cap. 12. in Synodo (110) Ibidem.



quæ Episcopum ordinandi habeat facultatem, absquæ consensu ipsius Imperatoris. Quod tamen fiat absquæ omni pecuniâ, & ut ipse sit Patritius Rex, quia si à Clero, & Populo quis eligatur Episcopus, nisi à supra dicto Rege laudetur, & investiatur, non consecratur. Si quis contra hanc Apostolicam auctoritatem aliquid moliat, hunc EXCOMMUNICATIONI subjacere decernimus. Sed quorsum ista? Eorsum scilicet: Papa non errat. Pappa Successores suos plerosquæ, si non omnes, ultra quingentos annos in Romanam sedem euectos, ex Ecclesiæ communionem ejecit: Igitur juxta infallibile decretum Pontificis omnes excommunicati. Quid ita? Quia tot retro Seculis vel nullus, vel pauci admodum ad Leonis præscriptum electi, aut confirmati. Optimam verò Successionem, quæ tam ingenti hiatu vacillat, totquæ Seculorum intercapedine distinguitur? Per Excommunicatos enim veram & legitimam Successionem fieri posse, quis dixerit aut crediderit? Nam (111) quomodo confirmabit Fratres in fide, & veram fidem semper predicabit Pontifex Hereticus? Quomodo excommunicatus? Potest quidem Deus ex corde heretico extorquere vera fidei confessionem, sicut verba quondam posuit in ore Asine Balaam: At violentum erit, & non secundum morem Providentiæ Dei, suaviter omnia dirigentis.

§. 17. Cæterum largiamur & hoc, usquæ ad Patrum nostrorum memoriam, Successionem illam legitimè se habere, quis unquam crediderit, Romanos Pontifices veros Petri Successores esse, nisi eundem & Factis, & Dictis imitentur? Sanè (112) vera Successio Doctrinæ, Religionis, Officiiquæ esse debet, quam, qui habet, ejusdem quoquæ Throni particeps est. Qui autem contrariam fidem amplectitur, Adversarius quoquæ in Throno censeri debet. Sicut enim Sanctorum filii non sunt, qui illorum loca solummodo tenent; Ita nec Petri Hereditatem habent, qui nec Fidem ejus profitentur, nec ipsius imitantur Labores. Quotusquisquæ autem tot retro annis Pontifices Romanos facere vidit, quæ olim Petrus fecit? Num docent, aut pascunt ipsi? Num Ministri sunt domus Israel, Vocesquæ ac Oracula DEI accipiunt, & illa, ut acciperunt, ita reddunt Populo? De illo Testes domestici loquantur! Nos de Externâ Successione parum solliciti, de Internâ illâ ac verâ præ Omnibus aliis tantò magis gloriari possumus, quanto propinquius Doctrina nostra ad antiquam Apostolicam & Catholicam Veritatem accedit, ejusdemquæ Certitudini nihil quicquam derogare existimamus, quod superioribus Seculis sub Papali tyrannide vehementer obscurata sit, quemadmodum Doctrinæ Christi & Apostolorum non obstitit, quò minus Mosaica & Prophetica similis esset, tametsi per Phariseorum, aliorumquæ Sacerdotalium Traditiones satis diu mutata esset ac corrupta.

§. 18. Re-

(111) Verba Bellarmini l. 4. de Pontif. Rom. c. 16. (112) Nazianz. de laud. Athan. c. Non est dist. 40. Ambrosi. de penit. l. 1. c. 6.



§. 18. Rejēctis igitur in hunc modum incertis illis ac dubiis Sacro-  
rum Antistitum Requisitis, vera & genuina ex Divina Institutione, Apo-  
stolorumq; ac Primitiva Ecclesie Praxi facile apparent, & ipso (115.) Bellar-  
mino consentiente ad Ternarium Numerum quam commodissime revocari  
possunt. Scilicet ut digni, & tam arduo Muneri pares legitime ac decenter  
eligantur, Electi vocentur, & deniq; Vocati per Preces, Manuumq; Im-  
positionem inaugurentur. Tametsi enim (116) omnes in universum Chri-  
stiani per sanctissimum Regenerationis Lavacrum sibi ipsis & Hostiæ, &  
Sacerdotes facti sint, qui in odorem suavitatis (117) Deo mentalia Sacrificia  
quarumvis Virtutum offerre, & (118) Proximo quoque admirandam Supre-  
mi Numinis Potentiam ac Sapientiam in privatis congressibus annuntiare,  
quinimò (119) in summo Necesitatis casu, ordinariis Ministris per falsam  
Doctrinam corruptis, divinam Veritatem pro viribus asserere ac vindicare  
debent; Nihilominus quis in Ecclesia constituta Deus (120) quosdam Pro-  
phetas, quosdam Apostolos, quosdam Doctores & Pastores tantum esse vult,  
sane præ reliquis tales eligendi sunt, quos donis illis liberalissime instruxit, &  
ad publicam Ministerium aptos reddidit ac habiles, ne temeraria Confu-  
sione introducta, quilibet pro lubitu quavis agat, & vineam Domini in præ-  
sentissimum adducat discrimen. (121) Jus verò istius Electionis ad totam Ecclesiam,  
omnesque ac singulos ejus Status pertinet, ita tamen, ut unus alteri propter va-  
ria Officia haud immerito præferatur. Dubium enim non est, quin Episco-  
pis, aut Presbyteris, atque adeò toti Clericali Statui primæ debeantur partes,  
quippe qui omnium rectissime de Personâ eligendâ, ejusdemque & in Re-  
ligione Sinceritate, & in Docendo Dexteritate judicare ac decernere potest.  
Proxima Christiano Magistratui concedenda sunt, sive in Monarchico, sive  
in Aristocratico, sive in Democratico Regimine sedeat, non tantum, quia  
utriusque Tabula Custos, (122) Ecclesia Nutritius, & velut Chypens in A-  
brahami populo esse, sed etiam ad veterum Regum, Imperatorumque glo-  
riosissimorum Exemplum (123) Tempa ab omni inquinacione purgare, (124)  
demoliri excelsa, lucos incendere, (125) Sacerdotes officii admonere, iis-  
demq; vita prescribere leges, (126) Episcopos illegitimos de loco submovere,  
(127) cogere Concilia, inq; iis unâ sedere ac judicare debet. Neq; verò

† (c) promiscua

(115.) l. 1. de Cleric. c. 2. (116.) 1. Petr. II. 2. Apoc. I. 6. c. V. 10. Cyprian. de Unct.  
Chrismat. & aliis Sacrament p. 516. Cyrillus, Alexand. in Levit. l. 9. p. 264. T. 1. (117)  
Ps. CXXI. 2. Apoc. V. 8. Heb. XIII. 15. Phil. IV. 18. Rom. XII. 1. (118.) Deut. VI. 20. Ephes.  
V. 19. (119) 1. Cor. X. 31. Colof. III. 17. (120.) Eph. IV. 11. 1. Cor. XII. v. 7. 8. 9. 29. (121.)  
Matth. XVI. 19. C. VII. 15. Joh. X. 39. 1. Cor. III. 21. (122.) Esa. XLIX. 23. Ps. XLVII. 10  
(123.) 2. Reg. XVIII. 4. (124.) 11. Paral. XVII. 6. (125.) 11. Reg. XXIII. 4. 20. 11. Paral.  
XXXIV. 3. C. XXXV. 2. (126.) Concil. Chalced. act. 1. Evagr. l. 2. c. 4. (127) Euseb. de  
Vitâ Constant. Orat. 7. Ruffin. l. 1. c. 1. Socrates l. 1. c. 33. Sozom. l. 2. c. 28. Consi.  
Constant. III. Arausicano II.



promiscua. Multitudo excludenda est ab Electionis istius Jure, cum illa non minus Ecclesie membrum sit, quam reliqui Status, quibus hoc respectu Electionis jus concessum est, (128) prater ea, ipsi incumbat, de sua Salute solertem curam agere, eamque verorum Doctorum a falsis Distinctione pro viribus promovere, ne luporum voce imprudenter seducta, ad aeternum exitium miserissime prolatur.

§. 19. Atque hanc quidem Ecclesie Ministros eligendi constituendique Rationem inde a primis Christianismi incunabulis observatam fuisse, (129) Apostolica Praxis satis manifeste ostendit, qua Matthias, Silas cum Comitibus, Pastores Ecclesiarum in Iconio, Lystra, Antiochia, aliisque locis, etiam Populi consensu & approbatione in Ecclesie Ministerium ordinati sunt ac constituti. Unde a sanctissima illa Consuetudine subsequens aetas ad plurimum Seculorum decursum minime descivit, sed tanto sanctiorem eam habuit, quanto magis Divinis Oraculis, Justitiaeque ac Equitati consentaneam esse deprehenderet. Patet illud ex (130) Sabiniani, (131) Athanasii, (132) Ambrosii, (133) Nectarii, (134) aliorumque Episcoporum Electionibus, quae seitu consensuque totius Ecclesie factae sunt. Idem ex Julii, Pontificis Romani Judicio manifestum est, quo Gregorii Alexandrini Electionem, contra Athanasium perperam institutam, improbat. Ubi est, (135) inquit, ejusmodi Ecclesiasticus Canon, aut istiusmodi Traditio Apostolica, in Pace agente Ecclesia, & Episcopis concordibus, Episcopo Alexandria Athanasio existente, immittere Gregorium, Peregrinum & Externum Hominem, neque Alexandria baptizatum, neque Plebi cognitum, neque postulatum a Presbyteris? Imprimis autem maxime illustre hujus rei Exemplum in (126) Eradio, D. Augustini Successore habemus, quod hoc loco prolixius referre, haud abs re fuerit. Igitur, postquam presente Clero & Populo voluntatem suam de Eradio, Successore sibi dando, Augustinus explicasset, a Populo mox acclamatum est: Deo gratias! Christo laudes! dictum est vigesies terties. Exaudi Christe! Augustino Vita! dictum est sexies decies. Te Patrem, Te Episcopum! dictum est octies. Cumque reticeretur, Augustinus Episcopus dixit: Non opus est, me de laudibus Ejus aliquid dicere. Faveo Sapientiae, & parco Verecundiae. Sufficit, quia nostis, & hoc me velle dico, quod Vos velle scio, & si ante nescirem, hodie probarem. Hoc ergo volo, hoc a Domino Deo nostro nunc etiam in aetate frigida votis ferventibus posco, ut hoc mecum oretis exhortor, admoneo, rogo, ut omnium in Christo collatis &

conflatis  
(128) Matth. VII. 5. 1. Cor. V. 11. Phil. II. 12. 1. Joh. IV. 1. (129) Act. I. 13. 26. C. VI. 3. C. XV. 22. (130) Cyprian. l. 1. Ep. 4. (131) Apolog. II. Gregor. Nazianz. de laud. Athanasii. (132) Socrates l. 4. c. 25. Theodoret. l. 4. c. 6. (133) Sozom. l. 7. c. 8. (134) Vide prolixè Marcum Antonium de Dominis l. 3. c. 3. (135) Athanas. Apolog. II. (136) Augustinus Ep. 110.



*conflatis Mentibus confirmet Deus, quod operatus est in nobis. Qui misit  
 mihi eum, servet eum, servet incolumem, servet sine crimine, ut, qui facit  
 gaudium viventis, locum suppleat morientis. A Notariis Ecclesie, sicut  
 cernitis excipiuntur, que dicitis, & meus Sermo, & vestra Acclamaciones  
 in terram non cadant. &c. A Populo acclamatum est trigescis sexies: Deo  
 gratias! Christo laudes! Exaudi Christe! Augustino Vita! dictum est  
 tredecies. Te Patrem, Te Episcopum! dictum est octies. Dignus & justus  
 est! dictum est vigescis. Bene meritis, bene dignus! dictum est quinquies.  
 Cumq; reticeretur, Augustinus dixit: Ego, ut dicebam, voluntatem meam,  
 & voluntatem vestram gestis Ecclesiasticis, quemadmodum ad homines at-  
 tinet, confirmatam volo: Quemadmodum vero ad latentem Omnipotentis  
 Voluntatem, omnes, ut dixi, oremus, ut confirmet Deus, quod operatus  
 est in nobis. A Populo acclamatum est: Iudicio tuo gratias agimus, dictum  
 est sedecies. Fiat! Fiat! dictum est sexies. Denique cum Actorum isto-  
 rum Subscriptionem Augustinus peteret, acclamatum est: Fiat! Fiat!*

§. 20. Poteramus hunc Episcopos, aut Presbyteros eligendi ritum  
 (137) plurimorum testimoniis & exemplis prolixius deducere, nisi tanta istius  
 rei lux esset, ut ipsis etiam Romane Ecclesie Presulibus hanc Sententiam  
 in Iure suo expresserit: (138) Nullus invitis detur Episcopus: Cleri, Plebis,  
 & Ordinis consensus ac desiderium requiratur. Iterum (139) alio loco:  
 Nulla ratio finit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Plebibus expe-  
 titi, nec à Clericis electi, nec à Comprovincialibus Episcopis cum Metro-  
 politani Iudicio consecrati. Rursus (140) alio loco: Per pacem & quietem  
 Sacerdotes qui futuri sunt, postulentur. Teneatur subscriptio Clericorum,  
 Honoratorum testimonium, Ordinis consensus & Plebis. Huc accedit, quod  
 (141) acerrimus Romane Cathedra Vindex, tam illustri Veritatis splendore  
 victus, testimonium hoc pro illà ediderit: Tertius modus eligendi Episcopum  
 fuit, ut eligeret Clerus & Populus Civitatis. Hic modus fuit in usum tem-  
 pore Chrysostomi, Ambrosii, Augustini, Leonis, Gregorii, ut patet ex la-  
 cis supra citatis. Quartus modus fuit, ut Imperatores & Reges vel soli, vel  
 cum Clero & Populo eligerent. Constat enim, Iustinianum Imperatorem  
 Senioreni post recuperatam Italiam noluisse quenquam creari Romanum Pon-  
 tificem, sine sua approbatione, quod servatum est usque ad Constantinum IV.  
 qui IURI suorum Predecessorum in hac parte CESSIT, ut ex Platina &  
 aliis cognosci potest. In eandem sententiam (142) Dionisius Petavius quo-  
 que inquit: Episcopi Cleri ac Populi Suffragiis eligi solebant. (143) Tradi-  
 tionem

(c) 2

(137) Vide Flacium peculiari libro. Marc. Anton. de Dopim. l. 3. c. 3. (138) dist. 63.  
 & Cleri. (139) c. in Nomine dist. 23. c. Nulla dist. 62. (140) c. Vota. dist. ead. (141)  
 Bellarm. l. 1. de Cleric. c. 9. (142) l. 1. de Hierarch. Ecclesiast. [143] l. 1. Ep. 4.



tionem Divinam & Apostolicam Observationem vocat Cyprianus. Paulus post, inquit: Ut in Episcopis renunciandis Laicorum suffragia locum haberent, in Occidente potissimum Lex & Consuetudo tenuit.

§. 21. Quanta igitur Injustitia res est, unicum Statum toti Ecclesie tam sanctè concreditum Ius Sibi soli arrogare, eoquè nomine supera inferis miscere, quod ab Hildebrando factum esse, Historia genis testatur abundè? Quorsum hac in Ecclesia dominandi Libido, planè exclusis reliquis Statibus solos Clericos Sacerdotes, aut Episcopos eligere, & aliorum loco nescio quem in angulo aliquo constituere, qui, Suffraganeo fores templi intranti, & clamanti: Utrum dignus & iustus est? respondeat: Dignus est & iustus! Cæterum nequè Secularis Magistratus ab illicità iethac dominandi Libidine alienus est, cum Iure Regio fretus, aut potius abutens, præter, & contra Voluntatem sive Ministerii, sive reliquæ Ecclesie pro lubitu & eligere, & constituere Pastores præsumit. (144) Sicut enim Pontifex Romanus commisit Sacrilegium in eo, quod Electionem & Vocationem Ministrorum Ecclesie eripuit, & ad se solum, suosquè transtulit; Ita ejusdem Criminis reus etiam est Magistratus, quando exclusis Ministerio, & reliquâ Ecclesia, sibi soli Potestatem constituendi Ministeria vendicat. Quæ temeritas & audacia usquè adeò invisa fuit olim, (145) ut, Felice, ab Imperatore Constantino in Episcopum, invitâ ac reluctante Ecclesia constituto, nemo, ipso Sacris operante, licet in Doctrinâ ejus nihil desiderari posset, limina templi attigerit: Maximè, quod in locum Liberii, injustè remoti ab officio, surrogatus esset, & Violatoribus illius sese conjungeret. Undè & contra pravam istam Consuetudinem Patres in Concilio Parisiensi, Anno DLIX. habito, acrius invehuntur Canone VIII. quem huc transcribere non pigebit. Quia in aliquibus rebus, inquiunt, Consuetudo prisca negligitur, & Decreta Canonum violantur, placuit, ut juxta antiquam Consuetudinem Canonum Decreta serventur. Nullus Civibus ordinetur Episcopus, nisi quem Populi & Clericorum Electio plenissimâ quaesierit voluntate. Non Principis Imperio, nequè per quamlibet conditionem contra Metropolis voluntatem, Episcoporumquè Comprovincialium ingeratur. Quod si per Ordinationem Regiam honoris istius culmen pervadere aliquis nimiam temeritate præsumpserit, à Comprovincialibus loci ipsius Episcopis recipi nulloatenus mereatur, quem indebitè assumptum agnoscunt. Si quis è Comprovincialibus recipere eum contra interdicta præsumpserit, sit à Fratribus omnibus segregatus, & ab ipsorum omnium Charitate remotus!

§. 22. Idquè haud immeritò! Nequè enim Magistratus Civilis Ecclesie

(144) Chemnit. Loc. C. de Eccles. c. 4. (145) Theodoret. l. 2. c. 17. Niceph. l. 9. c. 250.



*eclesia Dominus est, aut Imperator, qui ex mere Beneplacito suo illi obtrude-*  
*re possit tales Doctores, de quorum Integritate ac Puritate vel dubitat, vel*  
*in suspensio est, quibusque adeo Animarum suarum curam promptè ac hi-*  
*lariter, & cum alacritate quâdam deferre nequit. (146) Nutritius Eccle-*  
*sia Magistratus est, in cuius sinum Dei Sponsa delata, non ut confundatur,*  
*sed ut foveatur. Sicut enim sidera splendorem habent; sed ut usibus Mor-*  
*talium serviant; Sic Magistratus Potestatem circa Sacra: Sed cum Eccle-*  
*sia Utilitate conjunctam. Ideoq; Ministerii & Plebis, si non expressus,*  
*tacitus saltem Consensus requiritur ad legitimam Pastorum Electionem: Præ-*  
*sertim in illis locis, ubi ex Religiosa Sanctione, Pacis Instrumento, Pro-*  
*vincialibusq; Statutis & Recesibus liberum sincere Fidei Exercitium etiam*  
*sub diversa Religionis Magistratibus datum est atq; concessum. (147) Nam*  
*quomodo tales Magistratus legitimos Doctores absque Ecclesia, cui præficiendi*  
*sunt, consensu & approbatione constituere possunt, cum illis ne quidem in*  
*suis Ecclesiis hoc jus concessum sit? Quomodo diversa Religionis Ministros iis*  
*Ecclesiis, quarum se Magistratus non agnoscunt Membra, legitimè præfice-*  
*re possunt, excluso interim assensu & approbatione Ipsarum Ecclesiarum, &*  
*eorum, qui Membra sunt? Nonne hoc esset, Cælum Terræ miscere, & re-*  
*rum Naturam intervertere? Scilicet Ecclesia, cujus interest, à jure Vo-*  
*cationis propriorum suorum Ministrorum excludetur: Interim alii, ab Ec-*  
*clesiâ ratione Fidei prorsus alieni, pro omni suo arbitrato obtrudent ei Mini-*  
*stros, quos velint, atque sic regnabunt in hac, vel illâ Ecclesiâ extranei, qui*  
*nec membra eius sunt, nec dici volunt, exclusis interim, & de suo jure*  
*dejectis Domesticis. Sed neque Anabaptistarum probandus Furor, quo cir-*  
*cumacti promiscuam Multitudinem Ecclesie nomine tantum intelligunt, & ab*  
*eâdem Ministrorum Electionem, unice fieri debere volunt. quæ tamen, (148)*  
*velut multorum Caput Beluæ, factionibus & seditionibus nonnunquam*  
*intenta, sepius per imperitiam & temeritatem tales postulat, qui non*  
*Animi Præstantiâ & Virtute, non variarum rerum Scientiâ, sed vel Generis*  
*Nobilitate, vel Divitiis, vel aliis rebus externis abundant.*

§. 23. Ut igitur in pacato liberoque Ecclesie Statu ordine omnia &  
 decentè fiant, communibus sententiis, votis & suffragiis Electio instituen-  
 da, eâdemque peractâ, alterum quoque verorum Ministrorum Requisitum  
 subjungendum fuerit, ipsa scilicet Vocatio, quæ nihil aliud est, quam De-  
 ereti, in Eligentium Mente facti, solennis & publica promulgatio, ad Electum  
 directâ, cum adhortatione, ad suscipiendum Munus, cui per Electionem

(c) 3

fuit

(146) Theod. Reinking de Regimin. Secul. & Eccles. l. 3. Class. i. c. 6. §. (147) Egi-  
 dius Hunnius Tom. 4. in cap. i. ep. ad Tit. pag. 833. (148) Nazianz. sentent. Spirit. l.  
 3. pag. 671.



fuit destinatus. Cum enim Electio Mentis interior quidam actus sit, qui de Eligendo deliberat secum, factaque deliberatione eundem approbat & expetit, per externum aliquod Signum Approbatio illa, sive id Voce fiat, sive Scripto ac Literis deferenda omnino est ad Electum, qui de cetero de Eligentium voluntate & consensu certus esse non posset. Prout autem Electionis Jus ad totam Ecclesiam pertinet; ita Vocatio quoque ipsa eidem non quidem deroganda est. Interim tamen, quia Executio ejus nunquam determinata ac definita, sed potius cujusque loci Ecclesia, ejusque beneplacito ac voluntarie Dispositioni relicta est, nihil impedit, quo minus vel per Pacta & Conventiones, vel per Consuetudines receptas ad unum, vel duos Ordines, aut Status, quin etiam ad certos quosdam Homines transferri queat, qui totius Ecclesie nomine Electum vocent, & ad capeendum Munus sollemniter invitent.

§. 24. Impetrata illa sive Invitatione, sive Vocatione per publicam ac solennem Ordinationem, tanquam tertium sacrorum Antistitum Requisitum, Electus & Vocatus a Presbyterio in Officio inaugurandus est, ut publica illa testificatione, in Dei ipsius, & Ecclesia Conspectu Vocatio legitima ac Divina declaratur. Caterum quia Manus nemini facile impenenda sunt, neque Clericus ordinandus, nisi de facultate docendi, Scientiaque, ad arduum istud Officium necessariam, tum vero & de Vita Innocentia, Morumque Integritate prius constet, per antecedens Examen ante omnia a Ministerio in illa sedulo inquirendum fuerit, ne pro legitimo Doctore Rudis aliquis ac Imperitus, vel plane Heterodoxus. aut pro felici Morum Vitaque Rectore impurus, vitiisque repletus consecratur. Et vero ut paucis de illis agamus in presenti, sane nemo inficiabitur, plurima Natura, plurima Doctrina, Spiritusque ac Prudentia Dona requiri, si quisquam Morum Praeceptorem, totius Populi Magistrum, Sacrarum Literarum, Mysteriorumque abstrusissimorum Enarratorem ac Doctorem agere, & mediocriter saltem Muneris demandati Authoritatem tueri velit. Ac e Natura quidem Donis quanta Ingenii requiritur Perspicacia, cujus celeres quidam Motus sint, & non modo ad excogitandum acuti, sed ad explicandum ornandumque etiam uberes, ne unquam rara, & Admirationem juxta ac Delectationem paritura desint, quibus in pectora altissime transfusis, Auditorum animi, veluti caelesti quadam vi, concitentur, vincantur, & ad Assensum Obsequiumque trahantur? Quales Judicii Acrimonia, qua velut certa quadam Amussis & Regula, tanquam acutissimus quidam Censor, inventa limet, poliatque & exornet, ut separentur permixta & confusa, disjuncta concilientur, & quae proposito vel convenire, vel repugnare videntur, aut rejiciantur, aut admittantur? Quanta Memoria vis, qua velut Mentis Thesaurus ac Horrenum condat magnas res, easdemque, ubi opus fuerit, feliciter iterum promat, nec ope sua Possessorem



Possessorem nunquam destituat? Eius apud Sacros Oratores tanta 'Necessitas  
 est, ut absque illa si fuerit, Auditoribus Commiserationem magis, quam  
 Obsequium exprimant, & nonnunquam maleferiatis fiant cantilena. (149)  
 Quum enim e medio exsurgentes Orantesq; Populo ea locuti fuerint, quae otio-  
 sorum hominum Ignaviam ac socordiam perstringere possunt, & deinde la-  
 batur & intercidat eorum Oratio, tum vero predicandi Inopia erubescere  
 cogantur, diffinit continuo, atque evanescit omnium eorum, quae dixerant,  
 lucram. Nam qui perstricti fuerint ab illis, verbis eorum succensidum a-  
 lia reprehendere non possunt, Ignorantia scammatis illos laceffunt; his sua  
 ipsorum Opprobria adumbrare arbitrati. Quanta vero Memoria vis requi-  
 ritur, si per integram saepe horam singulis septimanis bis, ter, quater sine ha-  
 sitatione, sine pudore ac metu in frequentissimo, & non raro Literatissimo-  
 rum, Dignitateque ac Autoritate praestantium Virorum coetu de Rebus Divi-  
 nis acriter, ardentè, & cum aliquo Auditorum fructu & applausu dicere  
 velit quispiam? Sanè hic Calvisii alicujus, vel Claudii, vel Decij Memo-  
 ria suffecerit minimè, quorum (150) Ille Achilles, Priami, & Ulyssis no-  
 mina satis expedita non habebat, tametsi quotidie iisdem uteretur: (151) Iste  
 de Uxore quarebat, quid ipsi factum esset, quò minus ad coenam veniret,  
 cum ante paucas horas per Spiculatorem ob ruptum genialis Lecti foedus eam  
 trucidari jussisset: (152) Hic verò nullius Legis aut Paragraphi recordabatur,  
 quamvis Iuris Professionem pluribus annis exercuisset Potius, Hieronymi  
 alicujus, vel Cyri, vel Tiberii Minervii vis necessaria, quorum (153) hic  
 tantà Memoria foelicitate praeditus fuit, ut recitata ac lecta semel, ceu fixa te-  
 neret, Auribusque ac Libris una esset fides: (154) Iste in numerosissimo Ex-  
 ercitu quemvis Militem proprio vocabat nomine: (155.) Ille verò vix quic-  
 quam eorum ignorabat, quae sub Hominis Scientiam cadere possunt. Tam-  
 fidum Scientiarum & Eloquentiae Custodem, rerumque Divinarum ac Hu-  
 manarum Gazophylacium in Sacris Oratoribus requiri, lubentissime fa-  
 tebitur, qui secum paulò altius pensitaverit, (156) sine nullo suggerente reci-  
 tandam esse Concionem, idque perpetuà & ut plurimum concitatà dictione:  
 Recitandam esse adhibitis gestibus moderatis, Materia, Loco, ac Persona  
 convenientibus, pro Rerum summâ varietate, voce quoque variâ: Recitan-  
 dam esse vivide ac ferventer, ut Studium ac Industria vix appareat, sed  
 ex Spiritus Impetu unice prolata videatur. Neque enim sufficit, Verbis fri-  
 gidis, & in Ore tantum natis, tempus consumpsisse, aut inani quodam can-  
 tu an-

(149) Chrysostomus l. 1. de Sacerdotio. (150) Seneca ep. 27. (151) Caullinus  
 de Eloq. l. 3. cap. 4. (152) Thomas Lansius Consult. pag. 780. (153) Aufonius & ex  
 illo Vossius de constit. Rhet. (154) Val. Max. l. 8. c. 7. Fab. l. 11. c. 2. Plin. l. 7. c. 24.  
 (155) Famianus Strada Orat. l. 1. Prolog. 1. pag. 20. (156) Francisc. Roman. Sacro Ec-  
 clesiast. pag. 260.



nu aures implevisse, sed singulari quoque Zelo, vividoque ac vegeto Affectu opus est, cujus robore Audientium Animi percellantur, ut tanquam habentis circumacti, eò sequantur, quo Dicentis Lingua illos trahit. Qui hæc ratione demandato Officio fungi cupit, huic Artium illa penaria Cella maxime necessaria est, ut anxie Reminiscencia curâ ac Sollicitudine liberatus, omnes vires in Actionem & Impressionem intendere queat, neque ex dicendorum defectu vel plane silere, vel ad Pronunciationis vitia deflectere cogatur.

§. 26. Quid verò vel Ingenii Perspicacia, vel Acrimonia Judicii, vel Memoria Tenacitas proderit, nisi & Animi quædam Magnitudo ac Prestantia adsit, qua maximum illum in Ecclesiâ Tyrannum, Timorem, inquam, ac Metum tantò magis repellat, quantò plura adsunt, quorum interventu, robar ille juxta ac vires sibi sumere potest? Ipsa namq; Divina Majestas, Immensa & tremenda, Cujus Servum & Legatum Concionator in procurandâ Hominum salute agit, quam subito trepidationem dicenti incutiet, si in eminentiori loco constitutus, secum reputet, quam graviter offendi, & ad severissimam vindictam exercendam allici possit, si ejus Divinam Authoritatem in Habitibus, Gestibus, Voce & Rebus ipsis non ex debito asserat, atque adeò vices sibi demandatas minus ritè exsequatur. Ipsorum quoque Angelorum, Mentiumque Purissimarum cœtus, quem presentem esse dubitare debet minimè, quam facile obtundere Animum, & Linguam alligare potest, ut neque comminisci illo aliquid, quasi Consternatione quædam torpens, neque proferre hæc quicquam, aut eloqui valeat, velut vinculo nexa. Quod si enim (157) ringere, trepidare, & expallescere ut plurimum homines videmus, si de mundanis ac caducis rebus coram Principe aliquo, aut Imperatore, aut alio Magistratu ipsis verba facienda sunt; Quid mirum, si coram Excellissimâ & Serenissimâ Mente omnibusque Ejus Principatibus constitutus Concionatur de rebus abstrusissimis, & omnem humanam Rationem longissimè superantibus locuturus, tantâ Majestate ac Sublimitate percellatur, & ad trepidationem vel invitum adigatur & rapiatur? Iam si & infra, & juxta se constitutos Hostes secum pensitet, qui tanquam præpilatis hastis eum adoriuntur, dum pars commeatus, maximarumque rerum Scientiam! Pars catapultas, & reliqua tormenta, quibus fortius expugnentur hominum mentes, abesse conqueritur: Pars Varietatem, Delectationem, aut Spiritum sublimiorem requirit: Pars denique vel in Rebus majorem Ornatum, vel in Actione magis vividum Fervorem exigit & flagitat, certè maximam Perturbationis ansam habet, qua Dicentis cursum

inter-

(157) Lege Petrum Crinitum de honestâ disciplinâ l. 3. c. 3.



interrumpat & Animum aliis rebus deditum confundat. (157.) Plurimi enim Auditores ad Predicatores nolunt se accommodare, ut se ipsi ad Praeceptores audiendos accommodant, sed Discipulorum ordinem conditionemque supergressi, Spectatorum eorum Morem usurpant, qui in Theatris Stadiumve, certamina spectaturi, otiose sedent, in quibus quemadmodum solenne esse videmus, ut Multitudo in contraria scindatur studia, aliis huic, aliis illi applaudentibus, ita sanè & hanc in parte discissi, aliàs ad gratiam, aliàs ad invidiam Dicenti aures accommodantes. Tam variis itaq; Judiciis obiectus Concionator, quæ & Sapientes & Insipientes, & Amici & Inimici, imò verò & ipsi quoq; Obolares Pauperes sæpissimè non sine criminationibus in ipsum jaculantur, magno & generoso Animo opus habet, qui exiguitatem istam superet, nequæ aliis etiam rebus terreatur, quæ Dicenti obstaculo esse possunt: (159) Quia ut abominanda sunt contraria vitia, Confidentia, Temeritatis, Arrogantia; Ita citra Constantiam istam, Fiduciam, ac Fortitudinem nihil Ars, nihil Studium, nihil Profectus ipse profuerit.

§. 27. Quanta verò naturalis facultas dicendi porrò requiritur, si emendatè, dilucidè, ornatè, & aptè eloqui, & docere perspicuè, movere vehementèr, acriter delectare, animosq; vel invites ad consequenda aeternæ felicitatis Sollicitudinem, ad Dolorem & Tristitiam propter admissa Peccata, ad Odium Flagitiorum, Pietatisquæ ac Virtutis Amorem, ad Metum Divini Judicii, & Spem Veniæ impetranda, ad quosvis deniquè Affectus, qui sempiterna Bona respiciunt, feliciter trahere velit? Sanè huic opera vox rigida ac dura, vox angusta, obtusa, exilis, & effœminata, vox clamorosa & subsultante cantus Neniã eundem tenorem servans, vox contra rerum naturam vel in sublime temerè sublata, vel ad imum subito depressa, vox præcipiti celeritate magnam verborum vim effundens, aut nimia tarditate, gressuquæ testudineo omnes apices ac syllabas numerans, vix par erit, cum vel tedium ac nauseam Auditoribus generet, vel frigidè iterùm dimittatur, vel instar rapidi torrentis mentes subito prætervolet ac fugiat, vel avidis desideriiis spiritualitèr sitientium & esurientium Animarum non satisfaciat, prætereaque supinam Securitatem & Somnum haud rarò promoveat. Quàm arduum autem ac difficile est, in nullum istorum scopulorum impingere, sed exadverso clarà, facili explanatà, jucundâque ac ornatâ voce proferre dicenda, quæ nequæ Lenitate suâ auditum effugiat, nequæ Intentionis magnitudine molestiam creet, sed Pronunciationis modo distincta, virilisquæ succi plena, pro summâ Rerum Varietate variet, inque Admirationibus & Expostulationibus acris sit, concitata, clamorosa, & fulgurans, in Commiseratione, Metu ac Verecundiã submissa, flebilis, & interrupta, in Ob-

† (d) (secreationibus)

(158) Chrylost, lib. 5, de Sacerdot, (59) Quintil. l. 10, cap. 6, lib. 11, c. 2.





secrationibus & Obtestationibus blanda, attonita ac stupens, in Evangelicis Promissionibus mollis & amicabile, omnibus denique Affectibus conveniens, & hac ratione Dei Virtute roborata Auditorum Animos eò flectat, (160) ut ament, qua Loquens pollicetur, oderint qua arguit, qua commendat, amplectantur, quod dolendum exaggerat, doleant, quod letandum praedicat, gaudeant, misereantur eorum, quos miserandos ante oculos dicendo constituit, contra verò fugiant, quos cavendos terrore proponit.

§, 28. At enim vero quid Naturæ istis Donis ac Beneficiis efficiet Sacer Orator, nisi singularis quoque Doctrinæ ac Scientiæ eximie Thesaurus sollicitè sibi comparaverit, quibus illa non modo roboret ac stabiliat, sed & suppleat, qua in iis desiderari poterant? Neque enim Domum quisquam edificat, nisi idem & Architectus sit, aut egrotantia Corpora contingit, qui Medicina ignarus est, aut cum Hostibus in prælio congreditur, qui in Palæstrâ nondum sudavit. Quomodo igitur Ipsius Dei domum extruet, aut Christi Corpus, Animasque, Peccati tæbe infectas, curabit, aut contra infernalium Hostium insultus easdem tuebitur quisquam, nisi & Instrumenta necessaria, & congrua Medicamenta, & Arma convenientia in promptu habeat, quibus in tantâ mole extruendâ, conservandâ, roborandâque, & ab omni periculo vindicandâ uti queat? Quomodo de incomprehensibili DEI Essentiâ & admirandâ Virtute, de Angelorum purissimarumque Mentium conditione, de corruptâ Hominum Naturâ, ejusdemque gratiosissimâ Reparatione, de Prædestinatis ad æternæ gloriæ culmen, & Mediis ad illud ducentibus, de Providentiâ, omnia constringente & gubernante, itemque iis, qua vel justâ, vel probabili causâ evenire, vel terrena humanaque Rationi temerè accidere videntur, de Incarnato DEO, Assertore & Vindice Humani Generis, de sublimi Ejus Majestate & Beneficiis, Hominibus partis, de Sacramentorum admirandâ excellentiâ, & sexcentis aliis Fidei Christianæ Capitibus alios publicè instruet, aut eorum Veritatem contra tot ac tam rigidos Adversarios tuebitur, nisi & Sacrarum Literarum, & Linguarum, & Philosophiæ, & Historiarum, & imprimis Sacra Eloquentiæ insignem notitiam fuerit affectus? Sanè Natura semina tantum & scintillas largitur, quas solers Industria, Laborque artificiosus, & varia Doctrina elicere, & in flammam ac splendentes radios accendere debet. Ager tantum est, qui, tametsi ex se fecundus ac pinguis, fructuosus ac fertilis sit; Nihilominus sine Coloni sui operâ speratos Immortalitatis, Æternæque Gloriæ fructus proferre non potest, cum necesse sit, Naturam in frequentissimos temeritatis errores impingere, nisi hac Artis, Doctrinæque ac Scientiæ normâ, cui Genio quodam fatali, ducatur, juvetur ac stabiliat. Loquacitatem, & Lin-

gue



qua Volubilitatem largiri quidem potest Natura sola, & plerumque, nemini  
 uberior, quam Impudentissimo cuique obtingit: Sed Eloquentia non nisi  
 adhibito singulari studio, Artisque ac Scientia habitu acquiritur, efficitque fe-  
 liciter, ut Admiratores sui & certo Consilio, debitaque Prudentia, non casu,  
 aut fortuito, aut temere dicant, & res, quas tractant, magis reddant  
 perspicuas & manifestas. Cum enim in (161) Sacris Literis non Eloquen-  
 tia tantum summa, sed & Fons, ac Origo omnis Eruditionis, tanquam  
 in profundo demersa jaceat, tum certe, si eam copiosa & erudita explicet  
 Oratio, perinde erit, ac si rebus abditis diem immittamus, qui ibi conditis  
 pretiosissimis Thesauris Speciem Coloremque reddat suum, & Splendorem  
 quoque circumfundat, debitamque conciliet existimationem. Certè sicut  
 gratior est Virtus, qua de formoso Corpore venit, & quemadmodum Re-  
 gis Nobilitatem circumfusa Purpura Lux magis Sanctam atque Au-  
 gustam reddit, Ita sacra Eloquentia, variaque Eruditionis ac Scientia copia  
 Dicenti majorem Authoritatem, Rebusque, quas tractat, illustriorem splen-  
 dorem largitur: Quippe qua non renunciant Ingenio, aut Industria, sed  
 uti deformi ac famelicæ oratione deteri nolunt; Ita lascivam illam, &  
 corruptam, & parum sanam Eloquentiam perinde spernunt ac rejiciunt, at-  
 que adeo conspici gaudent, sed honesto & decenti ornatu, ut casta Matrona,  
 qua aequè & Luxum aversatur, & odit Sordes.

§. 29. Huic igitur Negotio non suffecerit, ut Ordinandus sciat be-  
 nè & expedite legere, & competenter cantare: Ut operam det Grammati-  
 calibus, sciatque ordinare Officium, & habeat modum ac commoditatem  
 dicendi illud, ad quod obligatur: Ut sciat Grammaticam, praesertim si sit  
 Secularis, quia illis Cura Animarum committi solet, qua sine literis exerce-  
 ri non potest, uti hanc rationem Examinatoribus suis (162) Pontificii prescri-  
 bunt, secundum quam sepius Duces cæci Ecclesie magno suo discrimine  
 proficiuntur. Talis certè erat, (163) qui Infantem Latine sic baptizavit:  
 In Nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta! Nec injuriâ huic illos ad-  
 numeres, in quorum gratiam (164) Romani Pontificalis voces superimpositis  
 virgulis & lineolis ornanda fuerunt, ut Syllabarum quantitatem exinde co-  
 gnoscere, & in pronunciando tantò feliciter progredi possint. Non, inquam,  
 perfunctoria hac Scientia tanto Muneri suffecerit, sed requiritur exacta Re-  
 rum Theologicarum, ac imprimis Capitum fundamentalium Notitia, Facul-  
 tasque, cum fructu docendi, quâ Ecclesie proficiendus ita pollere debet, ut

(d) 2

non

(161) Lege Augustin. de Doctr. Christ. Hieron. præfat. in Esa Ambros. l. 5, ep.  
 63. Chrysostr. l. 4. de sacerdot. & Homil. de laudib. Pauli Mornæum de Ver. Rel.  
 C. c. 25 Carol. Reg. Orat. Christ. pag. 126. Alios (162) Pontifici, Rom. fol. 2, 6. (163)  
 de consec. distinct. 4. retulerunt (164) Edit. Antvverp.



non modo ipse tenax sit fidelis illius Sermonis, qui ad Doctrinam facit, sed etiam possit alios adhortari, consolari, arguere, erudire, & contradicentibus Os obdurare. Hæc vero Doctrina ac Scientia cum tam multiplex, varia & illustris esse debeat, ut ne summa quidem Capita in presenti attingere queamus, sciendi cupidos ad illos remittimus, qui in isthac Palestrâ dudum exercitati Sacrum Oratorem sedulo in iis informant, quæ ad Munus suum legitime & decenter obeundum facere aliquid ac conducere possunt. Eminent ex iis inter Nostrates Hunnius, Försterus, Meisnerus, & Hülsemannus in Methodis Concion. Balduinus in Ideâ, Gerhardus Methodo studii Theolog. Job. Olearius in Orator. sacrâ, Nicolaus Rebhahn. in Concionat. Inter Reformatos Bullingerus in Prophetâ, Alstedius in Oratore Perfecto & Triumpho Biblico, Keckermannus in Rhet. Sacrâ, Zepperus in Arte habendi Concion. Polanus & Crocius in Method. Concion. Bucanus in Ecclesiaste, Sutlivius Perkinsus, & Martinus de Eloq. Sacrâ, Scultetus in Ideâ: Inter Pontificios Erasmus, Ludovicus Granatensis, & Didacus Stella de Ratione Concion. Carolus Borromæus & Franciscus Toletus Pastorum Instructione, Franciscus Romanus de Sacro Ecclesiaste, Jacobus Marchantius Horto Pastorum, Nicolaus Caussinus Theo. Rhetore, Hieremias Drexelius Aurifod. & qui omnium ferè primus, Carolus Regius Oratore Christiano.

§. 30. Proximum à Doctrinæ isthoc Apparatu fuerit, in Vita Morumq; inquirere Integritatem. Cum enim DEI Instrumenta Sacri Oratores esse, Eiusque Personam in procuratione humane Salutis gerere, (162) imò quasi quidam Mediatores, inter Deum & Homines existere debeant, quibus allegatis in Cælum precibus enixè laborandum quicquid ubique Bellorum est extingui, turbas solvi, & in earum locum Pacem ac fœlicem rerum statum succedere, (163) bene habere Exercitus, Civitates optimè disponi, Terram fructus ferre, & Mare, quæ sua sunt, dare, neque tanta Dignitatis splendorem ornabunt, nisi illustri Virtutum excellentiâ emineant, neque etiam tanta Bona impetrabunt, nisi puris omnino manibus eadem erogent, (164) quod certum sit, Irati Animum ad deteriora provocari, si is, qui ad intercedendum mittitur, propter Impuritatem displicerit. Atque hoc quidem tam manifestum est, ut ab ipsis etiam Gentilibus agnitum sit, qui hoc nomine (165) ex Sacris suis Prophanos promiscuè exesse jubebant, Lege in hanc sententiam latâ: Ad Divos advenito castè, Pietatem adhibento, Opes amovento! Qui secus faxit, Ipse Deus Vindex erit! Unde & (166) Numa Pompilius carniæ esu & Venere abstinuit, Julius Cæsar verò Oleribus, le-

gumini-  
 (162) Chrysoit. lib. 6. de Sacerdot. (164) Imperator in Novell. collat. 9. Tit. 16. cap. 6. (164) Gregor. Part. 1. Pastor. cap. 11. & citatur in Jure Canon. cap. Ecce. Dist. 42. (165) Laſant. lib. 2. Instit. cap. 4. Senec. hypol. Cic. lib. 2. LL. (166) Alexand. ab Alexand. Gen. Dier. l. 4. cap. 17.



guminibusque contentus fuit, ubi ad Sacrificandum animum appellerent. Quinimò non tantum Sacerdotum & Flaminum suorum, sed ipsorum quoque (167) Oratorum, de ludicris saepe Rebus, de scilicidijs arcendis, depositis reddendis, parietum jure, & similibus verba facientium, Vita prius Integritatem, quam Artis Peritiam, requirebant, eos desinientes: VIROS BONOS, dicendi peritos. Quomodo igitur illi Muneris sui Authoritatem tuebuntur, qui vera Pietatis Magistri, Vitiatorum Eversores, Virtutum Statores, omnium denique Rectores esse debent, nisi ipsi Sanctitatis & Innocentiæ Semitam secuti, latam Vitiatorum Viam fugerint, & cum iisdem acerrimè pugnando, Triumphum Victoriàmque, retulerint? Quomodo odio Inimicitiaque flagrantes gratiâ & Amore conjungere, Irâ furentes lenitate mitigare, confidentia ac temeritatis plenos repentino timore reprimere, Indignatione succensos, Misericordiâ flectere, Invidiâ tabescentes, aut malevolentiam exultantes corrigere, denique quorumvis Peccatorum cæno maculatas ad Vitæ Innocentiâ traducere poterunt, nisi Sibi-ipsis hæc omnia exemerint prius, & ita quasi manus porrigannt secuturis? Sanè Medico opprobrium est, (168) qui nec alterius Sanitatem, nec suam in manu habet, si alios curare velit, & ipse Debilis ac Infirmus sit, quasi testimonium Imperitiæ suæ in proprio Corpore portans. Quomodo igitur Animarum Pronubis & Nymphagogis non esset Opprobrium, si Jesum Crucifixum, Pauperem & Esurientem fæctis corporibus prædicent, & Jejuniorum Doctrinam rubentibus buccis, & ore proferant tumente? Finge Angelicâ linguâ quis declamet de Christianâ Charitate, quantum ejus bonum sit, Ipse Charitatis expers, nec tantum benè non faciens Proximo, sed & Mala, omniaque Mala ejus capiti consuât, quis Auditorum, ejus Improbitatis conscius, talem audiens, secum non tacitus cogitet de hujusmodi Declamatore: Omnem ejus Vim Virtutemque in Linguâ esse sitam, Exornet & verbis extollat Temperantiam, Lurco & Heluo, Castitatem impurus Scortator & Adulter, Pietatem, Religionem, Sanctimoniam Profanus, Irreligiosus, Impius, Liberalitatem Avarus, Iustitiam Fur, & Raptor, & Sacrilegus, Sinceritatem vaferrimus Impositor & Quadruplicator, Veritatem mendacissimus Calumniator, Fortitudinem Ignavus ac Timidus, Patientiam Mollis & Impatiens Fugam Idolorum & Veri Dei Cultum Idololatra, Dei Metum, Dei non metuens, Spem Vitæ Foelicitatisque æternæ Epicureus: Annon ejusmodi Orator tacitis Auditorum Judiciis vapulabit, quod de Re, ad se planè nihil pertinente, verba faciat & loquatur?

(d) 3

§. 31.

(167) Aristot. lib. 1. Rhet. c. 12. Senec. in Proœmio Declamat. Quintilian, Proœm. lib. 1. & lib. 12. cap. 1. (168) Chrysol. homil. 17. Oper. imperf.



§. 31. *Tametsi enim nonnunquam in occulto sit Dicentis Malitia, Simulatioque ad tempus custodiatur; Nihilominus tandem sese prodit, cum, qualis quisque est, taliter plerumque loquatur, & paucissimis tanta dicendi facultas concessa sit, ut non titubent ac hereant, quoties ab Animo Verba dissentiant. Maximè, si secum pensitent se Voce Cælum, Vita Gehennam edificare: Os Deo, Animum verò impurissimo Spiritui consecrare: Imò propria damnationis aliquo modo Praeones fieri, dum, quae agere respuunt, & predicantes tamen insinuant, suis vocibus se damnatos clamant. Ac ea propter (169) nullos quidem pejus & de Se, & de reliquis Mortalibus mereri certum est, quam qui aliter vivunt, ac vivere precipiunt, cum Se ipsos Exempla inutilis Disciplina circumferant, nulli non Vitio, quod insequuntur, obnoxii. Non magis potest talis prodesse Praeceptor, quam Gubernator in tempestate naufragus, quia tenendum est rapiente fluctu Gubernaculum, luctandum cum ipso Mari, eripienda sunt Vento Vela. Quid potest adjuvare Rector Navigii attonitus & vomitans? Quanto majori putans Vitam tempestate iactari, quam ullam Ratem: Non est itaque loquendum, sed & gubernandum! Hoc nisi fiat, sanè Achitophelè talis Declamator infelicissimè imitabitur, (170) qui domo suâ ritè dispositâ, suspendio fauces occludebat; Aliis consulens, Se ipsum verò negligens. Mercurialis quadam Statua erit, quae aliis viam ostendit, quam ipsa nunquam ingreditur: Ars perversus, qui in Authorem & Rectorem Sagittam transfigere solet: Candela, aliis lucens, se ipsam verò consumens: Quinimò (171) Rese quoddam fiet, non quale Christi Discipuli Piscatores habuerunt, Verbum scilicet propriis Virtutibus contextum, sed quale venantes super Venationem Animarum Demones exponere ac infigere solent. Opere enim magis Auditores ad Malitiam, quam Ore ad Innocentiam studium ejusmodi vani homines alliciunt & invitant. Ac quantumvis Salutaria nonnunquam sibi conceditis Insistent; Illi tamen (172) sicuti Aquam à corrupto Fonte non bibunt, licet dulcedinem claritate suâ polliceatur; Ita nec probabunt facile Orationem, aut sequentur, tametsi elegans sit ornata & proficua, si ab illo fluat, quem inquinatum, vitiisque repletum esse haud ignorant.*

§. 32. *Ex adversò multò facilius Peccata imitabuntur, quae in Rectoribus suis vel leviter saltem deprehendunt. (173) Neque enim vel pannus tincturam ita facile contrahit, vel is, qui foetido, aut suavi odori propius se adjunxit, ejus particeps fit, vel Vapor quidam morbidus ac noxius pari facilitate in aerem diffunditur, ac per aerem Animantibus impertitur, (quena*

nos

(169) Senec. Ep. 102. (170) Carolus Regius. Orat. Christ. pag. 27. (171) Theop. Phil. in Os. cap. 5. (172) Benz. Orat. p. 54. (173) Nazianz. Apolog. 1. pag. 63



nos vero nomine Pestem dicimus) ut Subditi Praefectorum vitio celerrimè in-  
 bui atque impleri solent, idq̄ multò facilius, quàm virtute. Hoc enim est,  
 quo Vitium Probitatem maximè superat, quod, cum res quadam facilis &  
 expromta sit Improbilas, nihilq̄ minoris negotii difficultatisq̄ sit, quàm  
 Malum fieri, etiamsi nemo Ducem se nobis ad vitia prebeat; Rara tamen  
 atq̄ ardua est Virtutis adeptio, quantumvis etiam multis modis ad eam in-  
 vitemur ac trahamur. Citius exiguum Vitium uberrimè largissimeq̄ cui-  
 quam communicatur, quàm vel copiosissima Virtus parcissime impertitur.  
 Nam & exiguum Absinthium amarorem suum melli facillimè impertierit,  
 mel contra ne duplo quidem majus dulcedinem suum Absinthio infuderit.  
 Tanti igitur Criminis qui si reos fieri nolunt, iis maximè incumbit, in o-  
 mnibus, tanquam Ministros Dei, in multâ Patientiâ, tribulationibus,  
 Necessitatibus, & Angustiis, in Carceribus, Plagis, & Seditionibus, in  
 Vigiliis, Laboribus, ac jejuniis, in Castitate, Scientiâ, Suavitate, ac Dile-  
 ctione non fictâ, in Spiritu Sancto, Verbo Veritatis, & Virtute Dei, per  
 arma Dei à Dextris & Sinistris sese exhibere, ut quarumvis Virtutum  
 Splendore radiantes, quaquâ versum irreprehensibiles & inculpabiles existant,  
 & apud omnes, Amicos juxta ac Inimicos, peregrinos & domesticos bonum  
 Testimonium habentes, alios quoq̄ oportune & importune increpare, arguere,  
 obsecrare, & ad Vitam aeternam transmittere possint.

§. 33 In hunc modum Sacros Antistites Vita Innocentia ac Sanctita-  
 ti maximè studere vel hoc etiam nomine decet, quod Munus suum absque  
 peculiari Spiritus Efficaciâ sic satis foeliciter expedire nequeant, (174) Qui  
 tamen malevolum Animum non intrat, sed Deum timentes Vita ac Intelle-  
 ctus pane cibant, gloriaq̄ stolâ vestit, ut in Ecclesia medio os aperire, &  
 neque flecti, neque confundi queant. Hoc Praeside ac Nauclero, Sanctoq̄  
 ac Purissimo Flammine qui destitutus est, Simulachrum potius mutum dicitur,  
 quàm Vitiorem Eversor ac Dissipator. (175) Enimverò da mihi Navim  
 vacuam, Gubernatores, Nautas, Funes, Anchoras, omniaq̄ disposita,  
 & nusquam esse Spiritum venti, nonne tardabit omnis, quantuscunq̄ est  
 Apparatus, si desit operatio Spiritus? Ita fieri solet, licet Sermonis ampla sit  
 suppellex, & Mens profunda, & Eloquentia, & Intelligentia: Non adsit  
 autem Spiritus Sanctus, otiosa sunt omnia. Quod si verò Sacratissima haec  
 Flamma Dicentis Intellectum illuminet, Cordis juxta ac Linguae plectrum  
 moveat, & augustissimo Muneri Robur Viresq̄ largiatur, etiam Impro-  
 bissimis quibusque metum ac terrorem Gehenna incutere potest Sacer Orator.  
 Exemplo nobis sunt Elias & Johannes, quorum alter, pelliceis vestibus indutus,  
 (176) Re-

(175) Chrysoft. homil. 2. de Spir. S. tom. 3. pag. 588.



(176) Regio Diademate conspicuum Achabum, alter ad aspectu vilis, infectus-  
 que pallore, purpurâ insignem (177) Herodem plus deterrebat, quam omnis  
 Rhetorum Eloquentia, aut Philosophorum vana Ostentatio, aut Sacerdotum  
 Presbyterorumq, ac Phariseorum Authoritas facere poterat. Namque Hic  
 Spiritus flagrantissimum Divine Glorie Amorem, ardentissimumq, humana  
 Salutis Desiderium in Predicatoris Animo accendit, quod omnium Avarorum  
 in colligendis Divitiis, omnium Ambitiosorum in appetendis Honoribus, o-  
 mnium Imperatorum ac Ducum in exoptandis Triumphis ac Victoriis sitim  
 aviditatemq, longissimè vincit ac superat. Hic omnia negligere & insuper  
 habere docet, quæ aures magis suavi Verborum tinnitu, & Sententiarum  
 singulari acumine titillant, quam Animum erudiunt ac sanant. Exad-  
 versò autem ea suppeditat, quæ languentes Auditorum Animos suspensos te-  
 nere, & ad Dei timorem, impieque ac scelerata vitæ odium traducere pos-  
 sunt. Hic deniq, tanquam Fortium & Robustorum Spiritus, instar Turbi-  
 nis cujusdam Sacros Oratores arguere, obsecrare, increpare, terrere, stu-  
 pere, admirari, defunctos quasi excitare, alloqui absentes, Dei opem im-  
 plorare, Cælum, Terram, Aerem, Maria, omnes denique Creaturas in  
 Testes ciere, & quodam veluti Prophetico Furore percitos exclamare facit:  
 (178) TERRA! TERRA! TERRA! Audi sermonem Domini! Et rursus:  
 (179) Hæcine reddis Domino, Popule stulte & insipiens? Atque iterum:  
 (180) Obstupescite Cæli super hoc, & Porta ejus desolamini vehementer!  
 Ubi spretam Religionem, conculcatam Justitiam, nefarios ausus, Mentis  
 duritiem, & ab ipsis propemodum Draconis Faucibus jam jam devoranda-  
 rum Animarum Periculum vident. Atque eo quidem nomine non modò A-  
 postoli, scientes: Hominis quidem esse, Cordis preparationes; Sed à Do-  
 mino Lingua Responsonem, intensissimè orant, (181) Ut Deus ipsis per Spi-  
 ritum hunc daret, cum omni fiducia proferendi sermonem, sed & Ipse O-  
 ptimus Maximusque Servator (182) agnoscit, à Jehovah Sibi Eruditam  
 Linguam datam, quâ reficere iterum & sustentare lassatos posset felicissimè.  
 Hanc igitur Spiritus Efficaciam ut Sacri Antistites perpetuò sartam tectamque  
 servent, Vitæ Integritati & Innocentiæ opera ipsis danda fuerit sedulo, ne Spi-  
 rituale istud Benedictionis Unguentum horrendis fetoribus maximo suo ma-  
 lo corrumpant, atque adeo Sacratissimum Munus Fructu & Effectu suo  
 privent.

§. 34. Prout autem Discretio & Prudentia (183) Virtutum omni-  
 um Moderatrix, humanarum Actionum Mensura, Dux & Arbitra, Mo-  
 rumque Doctrina, & Affectuum Ordinatrix jure meritoque existis; Ita My-  
 steriorum

(176) 1. Reg. 18. (177) Marc. 6. (178) Jer. 22. 29. (179) Deuter. 32. 6. (180) Jerem.  
 2. 12. (181) Proverb. 16. 1. Actor. 4. 29. (182) Esai. 61. 21. (183) Bernhard. sup. Cant.



*Superiorum Divinorum Dispensatores eadem tanto majori cumulo indigent, quanto gravius, magisque arduum, & omnium Oculis juxta ac Judiciis expositum Munus est, quod à Supremo Numine ipsis imponitur. Quanta enim Prudentia & Sagacitatis, quanti quamque immensi Laboris res est, ut seipsum, viresque ac facultates suas exactissime scrutentur, easdemque ita moderentur, ne aut nimiam vehementiam Discretionis limites excedant, & per tetricam Morositatem tanto impetu ferantur, qui multorum Animos haud abs re offendat: Cum primis si animadvertant, Personas magis, quam ipsa Vitia redargui: Aut sapientiam & negligente Remissione, earumque rerum, quibus contradicendum erat, tacitam Approbatione, in Adulationis Suspicionem incurrant, & pro talibus habeantur, qui non serio, vel ad Animarum lucrum, sed ex Consuetudine, & ad proprium Commodum res suas agant: Aut Histrionicam propemodum Levitate ridiculas Narrationes, Lepores, vel Facetias proponant, quae & Personae, & Loci, & Rerum Majestatem minuunt, & Risum illis moveant, quibus Lachrymis venia imploranda erat, eoque ipso Summum Rectorem graviter offendant, cum certum sit, dum Concio ridet, & Diabolum ridere, & Deum Ipsum, omnium Rerum Dominum à Servis suis irrideri. Ut infamiliari Conversatione domi forisque ejusmodi Virtutibus semper coruscant, quibus etiam silentes, & cum non videntur, alios doceant: Imò ipsos etiam Hostes ac Inimicos ad Reverentiam, ac Venerationem Integre Vitae cogant, neque eorum vel contuberniis, vel exemplis, vel consiliis, vel fraudibus, vel subdolis Adulationibus à constanti Virtutis Exercitio moveantur. Ut in subortis Injuriarum Contumeliaeque Procellis, in Persecutionum Turbinibus, quin & in Morte ipsa subeunda omnem injustam Indignationem, Metum ac Timorem abjiciant, cum & in illis Patientiam, & in hac Constantiam aliis predicare ac suadere debeant: Ut in expediundo Munere suo accurate secum antea pensitent, quae dicturi sunt, & non Sententias tantum, Rerumque ipsarum momenta, sed & Verba ad Prudentiae trutinam exigant, ne in tantam Hominum frequentiam, in qua tot sunt Censores, quot Auditores, tot Judices, quot Spectatores, temere quicquam, aut inconsiderate loquantur, quod vel ad Vitam liberiolem sectandam ansam dare, vel Damnum aliquod, aut Errorem generare queat! &c.*

§. 35. Atque haec quidem praecipua sunt, quae in Mysteriorum Divinorum Dispensatoribus requiruntur. Quorum igitur conditio ad hunc modum si non ex omni, maximam tamen parte in Inquisitione se habere deprehenditur, illi jure meritoque More Apostolico per Preces, Manuumque Impositionem Ministerio publicam & solenni Actione initiantur, quae de Officii sui partibus, de ejus Majestate ac Difficultate, de Virtutibus, in vero Episcopo requisitis, Vitiisque ab eo fugiendis uti antea privatim, ita nunc in to-

\*

(e)

tius





*viis Ecclesie conspectu sedulo admoneantur, & per Solemnem Obligationem Deo se devoteant, ad eam fidelitatem in Officio praestandam, quam in Dispensatoribus suis Dominus requirit: Quam Ecclesia etiam certa reddatur, Deum per hanc Personam, ejusque Ministerium efficacem futurum: Quam denique omnes & singuli ad serias & ardentis preces, pro impetrando Dei Auxilio fundendas invitentur. &c.*

§. 36. Executor vero, sive Author & Praeses solennis istius Actionis de Jure Divino non tantum Episcopus, qualem Pontificii describunt, sed quivis Presbyter esse potest, quippe qui quoad Jurisdictionis Potestatem illo inferior est minime, quantumvis Ratione Ordinis, ab Hominibus instituti, aliquam subjectionem agnoscere cogatur. Enimvero eandem uterque & Praedicandi, & Sacramenta administrandi, & Claves exercendi Facultatem ab Ecclesia nactus est, quam cum & Episcopus, & Presbyter legitime exercere queat, quid prohibet, quod minus Ordinationem uterque peragere possit, cum major Potestas minorem haud immerito includat? Atque hanc rationem in primitiva Ecclesia observatam fuisse (184) Pauli & Timothei (185) Ordinatione haud obscure innuit, quorum Ille ab Antiochena Ecclesia Presbyteris & Doctoribus in Gentium Ministerium, Hic vero ab ipso Paulo cum aliis Presbyteris ordinatus est. Egregie in hanc rem Hieronymus (186) inquit: Idem quoad Jurisdictionem Apostolis fuit Presbyter, qui & Episcopus, & antequam Diaboli instinctu studia in Religione fierent, & diceretur in Populis: Ego sum Pauli, Ego Apollinis, Ego Cepha, communi Presbyterorum Consilio Ecclesie gubernata sunt. Quod si quis putet, non Scriptura, sed nostram hanc esse Sententiam, relegat Apostoli (187) ad Philippenses verba, dicentis: Paulus & Timotheus, Servi Jesu Christi, omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconis, Gratia vobis & Pax! Philippi erat una Urbs Macedonia, & certe in una Civitate plures, ut nuncupantur Episcopi esse non poterant, sed quia eosdem Episcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant, propterea indifferentem de Episcopis quasi de Presbyteris est loquutus.

§. 37. Caterum cum Episcopatus non Honoris tantum, aut Dignitatis, sed Operis quoque & immensi Laboris, imò negotiorum Negotium sit, sanè in hac Palestrâ legitimè constitutis per desidiam, aut neglectum tempus haudquaquam transigendum est, sed sanctè expedienda Officia ac Munera illa sunt, quae Supremus Ecclesie Gubernator ab illis exigit & flagitat. Ac cum duplicis quasi generis sint, quae Deus ad Vitae aeternae consecutionem liberalissimè hominibus concessit: Voluntatis scilicet suae Manifestationem, in scripto Verbo gratiosissimè factam, & ejusdem per veneranda illa & angusta Sacra-

(184) Act. 13. v. 12. (185) 1. Timoth. 4. v. 14. & Tim. 1. v. 6. (186) Hieron. in cap. 1. ep. ad Tit. & allegatur c. Olim. Dist. 95. (187) cap. 1. v. 1.



*Sacramentorum Sigilla certissimam fidelissimamque Obfignationem, ad duas istas Partes Divinorum Interpretum precipua Officia referri commodissime poterunt, ut & per sedulam Verbi Predicationem Myſteria, à Seculis abscondita, sibi commisso Gregi pro viribus patefaciant, & per Sacramentorum legitimam Administrationem eidem nunc alios inſitient, nunc verò alios ad sempiterna Gaudia roborent & muniant. Et ad illam quidem Functionem expediendam præter serium severumque Ipsius DEI Ter Optimi Maximi Mandatum, (188) quod illos exaltare Vocem, velut tubam, quod annunciare Populo Scelera, quod ire, (189) & omnes Gentes Evangelii Predicatione docere jubet, (190) Apostolica quoque Regula eos obligat, qua inter plures alias Virtutes ab Episcopis requirit, ut Doctores sint, qui non modo Vitâ, omnium Virtutum splendore ornatâ, hominibus præsent, sed Doctrinâ quoque & Informatione alios erudiant, & in verâ cognitione Christiana Fidei magis magisve confirmant. Et quomodo possint absque hæc operâ? Tunc enim verum Speculatorem esse diceres, qui vel Hoste ingruente, vel flagrante Incendio stertit somnolentus, & periculum iamminens per tubam, aut sonitum non annunciat? Aut legitimum Pastorem, qui usque adeo Ovinum suarum curam non habet, ut illas negligat securus, & imminente Lupo neque voce, neque opere dilacerantes abigat maxillas? Aut fidelem Doctorem, qui per otium transigit tempus, sibi que commissos in Ignorantia & Inſcitia tenebras agit præcipites? Quomodo igitur Myſteriorum Divinorum Dispensatores, cuius status & conditionis sint, Speculatorum, Pastorumque ac Doctorem Spiritualium provinciam sustinebunt legitime, nisi per tubam Cœlestis Tonitruum tot Mundi, tot infernalium Hostium insidias, illetabilesque illos, & sempiterno igne flagrantes Recessus, qui semel intrantibus omnem egressum planè recludunt, indefinenter annuncient? Nisi lautissimo Verbi Divini Pabulo hos erigant, illos reficiant, istos solentur, omnes ad æterna pascua, quantum in ipsis est, sine periculo, sine discrimine transmittant? Nisi denique depulsâ rudi illâ & vastâ Ignorantia caligine, quam per primi Hominis reatum attraximus omnes, Christi instillent Notitiam, que aliquando ad æternam beatificæ visionis frugem angeatur & adolescat?*

§. 38. Hæc certè uti magna quadam, & planè egregia ac Divina Opera sunt; Ita sine Verbi Predicatione illa ab Episcopis, & reliquis Ecclesia Pastoribus fieri non posse tam manifestum est, ut veterum Doctorem (191) alicui hæc vocem expresserit: Nihil prodest Episcopum conscientiam Virtutum frui, nisi & conceditur sibi Populum possit instruere, ut valeat exhortari in doctrinâ, & eos, qui contradicunt, redarguere. (192) Alteri verò istam: Intenſissimo timore considero, quod recessurus ad percipiendum Regum Dominus, Talenta Ser-

(e) 2

vis,

(188) Eſai. 58. v. 1. (189) Matth. 28. v. 19. (190) 1 Timoth. 3. v. 2. (191) Hieron. lib. 1. advert. Jovinian. cap. 29. (192) Gregor. lib. 2. ep. 39.



vis suis distribuens, dicat: (193) *Negotiamini, dum venio!* Quod profectò negotium tunc verè nos agimus, si vivendo & loquendo Proximorum Animas lucratur, si Infirmos quosquæ, cælestis regni gaudia prædicando, in superno Amore roboramus, si Superbos ac Tumidos, Gehenna supplicia terribiliter insonando, fle-  
ctimus.

§. 39. *Quin tanta istius Rei Veritas est, ut ipsos quoquæ Romanos Pon-  
tifices ad publicandam in Jure suo hanc Sententiam adegerit: (194) Si quis Pon-  
tifex esse vult, non tam Vocabulo, quam Merito, imitetur Moysen, imitetur Aa-  
ron. Quid enim dicitur de eis? Quod non descendunt de Tabernaculo Do-  
mini. Erat ergò Moyses indefinenter in Tabernaculo Domini. Quid autem  
ei opus erat? Ut aut à Deo aliquid disceret, aut ipse Populum doceret. Hæc  
duo sunt Pontificis opera, ut aut à Deo discat, legendo Scripturas Divinas,  
& sapius meditando, aut Populum doceat, quæ à Deo didicerit, non ex proprio  
corde, vel humano sensu, sed quæ Spiritus Sanctus docet. Et rursus (185) alio loco  
Dispensatio est nobis cælestis Seminis injuncta. *Væ, si non sparserimus! Væ, si  
tacuerimus! Quid cum Electionis vas formidet, & clamet, quanto magis cuili-  
bet exiguo metuendum?**

§. 40. *Proximum à Docendi isthoc Munere Sacramentorum Admi-  
nistratio est, quæ ad Mandatum Optimi Servatoris ordinariè per Sacerdotum  
manus peragitur, eoque nomine (196) Divinorum Mysteriorum Dispensatores  
haud immeritò audiunt. Quæ verò circa hanc Sacramentorum Dispensationem  
Ecclesie Ministris observanda sint, Quæquæ præter præcipua isthæc Munia illis in-  
cumbant, ut: pote pro Salute Sibi concreditorum, allegatis in cælum precibus, agere  
excubias: Se ipsos exemplar Spiritualis Vitæ & Munditiæ præbere: Præfractos,  
& in manifestâ scelera ac vitia prolapsos Ecclesiasticæ Discipline vinculis coër-  
cere iterum, & in ordinem redigere: Receptas in Ecclesiâ Ceremonias ac Consue-  
tudines servas testasquæ conservare, enitiquæ, ad id, ut servato Parochiali Jure omnia ordine & de-  
center fiant: Deniquæ Sibi concreditis, cujus sexus aut conditionis illi sint, i. primis autem Ru-  
dibus, Orphanis, Pauperibus, Viduis, Ægrotisquæ ac Moribundis consilio juxta ac auxilio adesse,  
eorumquæ Salutem & Incolumitati pro viribus litare, hæc omnia cum præter alios à venerando Pa-  
rente in Tractatu, qui inscribitur: MYSTERIORVM DIVINORVM FIDVS DISPEN-*

*SATOR, magnâ ex parte tradita sint, eorum Lectorem  
remittimus, Plaudentes*

**DEO ET VERITATI!**

(193) Luc. 19. v. 12. (194) c. Siquis Diss. 36. (195) c. Dispensatio Dissin. 43. (196) 1<sup>o</sup>

Cor. 4. v. 1.

EMENDANDA.

In Dissertatione de Majestat. (C) 3 fac. a. l. ult. pro Theo Rhetorem I. Theo Rhetore.  
(D) 2, fac. a. l. 30 & 31. verba transposita ad hunc modum lege: aut perculsorum prostra-  
torumquæ; hostium series, aut pegmata, in tertium quartumquæ; & c. (E) 3 fac. b. l. pen. pro  
Scheurlio I. Scheurlii In Dissert. de Requisitis Sacerd. a. 1. fac. b. l. 8. verba iterum transposi-  
ta ad h. m. legas: quàm ferid, quàm graviter maxime am illorum & c. a. 2. fac. b. lin. 26. dele-  
te. b. 2. fac. b. l. 25. l. sodes. b. 3. fac. b. l. 15, l. eas. Reliqua minutiora B. Lector restituat:



















31 1679

ULB Halle 3  
007 375 107



TA → OL

WAA











An 2

I.  
 SIMA  
 OOTII  
 TATE  
 SDEM  
 SITIS  
 EOLOGICÆ  
 IONES  
 XIV. ANNOS  
 ALTDORFFINA  
 POSITA  
 IS EXSCRIPTA:  
 BLICO DONATA,  
 LLECTORE  
 STIANO Philips/  
 SIS PASTORE,  
 CINARUM IN  
 ORI HOIENSI  
 DENTE.  
 Æ,  
 I,IBID. ILLUST. GYMN.  
 ANNO 1669.